


6
2-D
2



EDVARDI CORSINI

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM IN PISANA ACADEMIA
HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORIS

EPISTOLAE TRES
QVIBVS
SVLPICIAE DRYANTILLAE
AVRELIANI AC VABALLATHI
AVGVSTORVM NVMMI
EXPLICANTVR ET ILLVSTRANTVR





R



EX MVSEO COMITIS JOSEPHI ARIOSTI





LIBVRNI MDCCLXI.

APVD IO. PAVLLVM FANTECHIVM AD SIGNVM VERIT.

Praesidibus Adprobantibus.



BENEVOLO LECTORI.

QVum demum priſtinae atque optatae ſtudiorum tranquillitati ſuperioribus menſibus reſtitutus eſſem, atque in iucundiſſimum Piſanae Academiae ſinum me recepiſſem, id unum mihi vel maxime cordi fuit ut quidquid otii vel temporis tum a publicis, tum a privatis etiam Academiae exercitationibus ſupereſſe poterat iis Lucubrationibus conſecrarem, quas olim Piſis ante Romanum iter inceperam, moxque ſtudiis, & curis aliis diſtentus tandiu imperfectas reliqueram. Itaque primum alteram *Inſcriptionum Aſiaticarum* Partem, nimirum Graecas Inſcriptiones omnes in Aſia repertas, quas Chiſhullus collegerat, atque in ſecundo Operis ſui Volumine edere meditabatur, latine a me iampridem redditas variis obſervationibus illuſtravi, iiſque ſexdecim etiam alias adieci, quae Chri-

ſtiana Aera antiquiores erant, ideoque ad primam Operis Partem ſpectabant, quamvis ipſas Chishullus aut, ſibi incompertas, aut mutilas, aut obſcuriores omiſerit. Deinde vero novam, atque uberiorem *Praefectorum Vrbis* Seriem, quam quae a Contelorio vulgata fuerat, ex antiquis, recentibuſque Scriptoribus, praeſertim vero ex plurimis Marmoribus ſuperiori ſeculo inventis collectam augere, diſponere, & exornare perrexi, ut tandem haec duo pulcherrima illa quidem, atque utilia argumenta Eruditorum oculis meliori, quo poterat, cultu exornata exponerentur. Interim tamen utrumque argumenti genus abrumpere, vel aliquandiu ſeponere libuit ut amicorum hortatu novum aliud argumentum inſperato, ac repente oblatum ſuſciperem. Etenim, quum inediti cuiuſdam nummi imago *Sulpiciae Dryantillae Auguſtae* nomen, ac vultum referens oſtenſa mihi foret, atque amiciſſimi Viri conſilio impulſus eſſem ut eius Auguſtae prorſus incognitae aetatem, maritum, quidquid demum ea de re affulgere poterat diligentius inquirerem, coniecturas omnes, quas ſubinde collegeram, Epiſtola, vel Diſſertatione quadam complecti libuit. Quandoquidem vero Dryantillam ipſam ad Gallieni tempora facile referendam eſſe putavi, qua inter Tyrannos alios *Sulpicius Antoninus*, Odenathus, Zenobia, Vaballathus per annos aliquot in Oriente imperarunt donec ab Aureliano Auguſto, cuius imaginem nomen, ac imperii annos Vaballathus

ipſe

ipse suis in nummis expressit, superati sunt, fieri certe non poterat quin in eiusmodi rerum, ac temporum explicatione subtilius inquirenda opiniones omnes mire dissidentes excuterem, quae de Aureliani, ac Vaballathi imperio atque aetate apud Historicos, ac nummorum Interpretes circumferuntur. Itaque quum rerum seges, ut fieri plerumque solet, sensim uberior obversaretur, duas Epistolas alias exarandas suscepi, ut in ipsarum prima de Aureliani nummis, atque aetate, in altera vero de Vaballathi imperio, aetate, ac nummis ita disserui, ut ex eiusmodi Epistolarum qualibet praesidium, ac splendor aliquis in ceteras oriretur.

Habes hic, optime, & amice Lector, quaenam tenuis huius Operis occasio fuerit, simulque consilium, quo tres Epistolas subsecivis horis exaraverim. Si quid in iis fortasse deprehenderis, quod Nummis illis rite explicandis conferre possit, erit certe cur mihi plurimum gratuler non modo quod nummis ipsis obscuris oppido, atque implexis lucem attulerim, verum etiam quod plura subinde observaverim, ex quibus praesidium aliquod in pluribus nummis aliis, atque etiam Marmoribus exponendis habeatur. Vt enim suis in locis opportune observavi, difficultates illae, quae in Aureliani, ac Vaballathi etiam nummis reperiuntur, in aliorum quoque Caesarum nummis occurrunt; ideoque longe facilius dirimi illae poterunt si eadem exempla, quae hic a me


pro-

proferuntur, ad alios etiam nummos, ac Marmora transferantur.

Ceterum, quaecumque demum harum Epistolarum fors sit futura, id unum saltem ab aequis bonisque iudicibus sperari a me posse confido ut ingenuum erudiendae, iuvandaeque Iuventutis amorem, quo haec studia, ac labores omnes in Academia nostra suscepti diriguntur, aliquo in pretio haberi, atque humaniter probari etiam possint.



REVE-



EDVARDI CORSINI

EPISTOLA

QVA INEDITVS

SVLPICIAE DRYANTILLAE

AVGVSTAE NVMMVS

EXPONITVR AC ILLVSTRATVR;


REVERENDISSIMO PATRI

D. IOANNI CHRYSOSTOMO
TROMBELLIO

CANON. REG. CONGR. RENANAE
ABBATI GENERALI

EDVARDVS CORSINVS

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM
FELICITATEM.



Acile, ut opinor, memineris, optime, atque eruditissime TROMBELLI, qua voluptate perfunderer dum eximiam veterum Nummorum supellectilem, quae a Te feliciter comparata, novisque in dies accessionibus locupletata fuerat, mihi perhumaniter Romae inspiciendam, & explorandam exhiberes, si nummus aliquis subinde occurreret, qui adhuc ineditus, & Antiquariis omnibus incognitus foret. Optime nimirum noveram, Teque praesertim accuratissimo earum rerum iudice mihi facem praeferente clarius intelligebam quantum splendoris, ac praesidii in plurimis, quae in Historiae, Geographiae, atque eruditae Antiquitatis studio adhuc obscura, & incomperta sunt, ex novis monu-

mentis illis oriatur. Id sane in plurimis nummis tuis contrectandis, excutiendisque saepissime experti sumus: praesertim vero in *Abydenorum*, *Lyciorum*, *Lucanorum*, *Magnetum*, *Priansiorum*, *Mothonensium* nummis, qui tunc primum observati sunt sive quod hactenus prorsus incogniti illi forent, sive quod illi cum editis comparati maximam, atque insignem varietatem praeseferrent; ut nihil de Caesareum nummis cum Graecis, tum Latinis hic loquar, in quibus illustria quaedam historiae capita hactenus incognita exprimebantur. Eiusmodi vero nummariae supellectilis tuae memoria, quae mihi saepius hic animo obversatur, ea praesertim de caussa mihi iucundissima esse solet quod simul incredibilis illa morum suavitas, animi candor, atque eximia prorsus humanitas repente mihi in mentem incurrant, quibus omnium amorem Tibi mirifice conciliasti, me vero plurimis benevolentiae propemodum singularis significationibus integro triennii spatio devinxisti. Hinc mirari plane non poteris si quum pristinae, atque optatae studiorum meorum tranquillitati sim restitutus, ubi primum inediti cuiusdam nummi imaginem inspexi, Tui, numismatum tuorum, tuaeque in primis benevolentiae, & amoris memoria repente excitata in me fuit, simulquae ingenuus quidam ardor, ut memoram hunc, gratumque animum meum testarer. Itaque rogo, obtestorque ut aequo animo feras si Te a gravissimis universi Ordinis tui negociis, iisque studiis, quibus de pietate, Sacra Historia, & Catholica Religione praeclare mereri pergis, paulisper avocem, tibique amicissimo doctissimoque iudici coniecturas omnes exponam, quas eximio SVLPICIAE DRYANTILLAE AVGVSTAE nummo explicando haerens ubique, mihique ipsi diffidens, selegi.

II. Aereus hic nummus anno proxime elapso 1760. in Austria superiori feliciter inventus, atque ad Exc.

Co-

Comitem Arioftum delatus fuit, qui praeclaris aliis animi dotibus, quibus excellit, fingulare prorfus eruditae Antiquitatis illuftrandae, ac promovendae ftudium coniungit. Quae vera eius nummi craffities, pondus, & forma fit hactenus refcire non potui, fed folam ipfius magnitudinem, ac utramque nummi faciem ope viriculi in aere delineatam, ac papyro impreffam infpexi, quam ex eodem ipfo exemplo Vindobona miffo hic accurate expreffam exhibeo. Cetera, quae in huiufmodi nummis explicandis inquiri, paulloque fubtilius explorari folent, mihi prorfus incognita funt; idque unum ab illuftri peritoque Viro intellexi, quod huius Auguftae facies, ornatus, nomen, characteres omnes in exemplo ipfo fideliter expreffi fuerant. Quemadmodum vero Eruditis omnibus, atque iis praefertim, qui veterum nummorum ftudio, & amore ducuntur, optimo maximoque iure laetandum eft quod novi fubinde nummi pridem incogniti in lucem proferantur, ita quoque merito optandum ut in explicandis illis praefidium aliquod ex Hiftoricis, ac Monumentis aliis affulgeret. Ita nimirum ex Hiftoria ipfa in novos eiufmodi nummos fplendor uberrime diffunderetur, ac viciffim ex nummis ipfis Hiftoria aliquando corrigi, faepe illuftrari ac confirmari etiam poffet, quod exemplis innumeris contigiffe erudimur. Quum vero ipfum quoque *Sulpiciae Dryantillae* nomen temporis diuturnitas, Hiftoricorum ofcitantia, atque ineluctabilis quaedam rerum humanarum conditio aboleverit, irrito prorfus conatu ipfius aetas, patria, conditio, maritus, aliaque id genus plura in Hiftoricis inquirentur. Quamvis autem miferrimam hanc fortem plurimi Auguftorum, & Auguftarum nummi experti fint, facilius tamen in Dryantilla noftra contigiffe id potuit, quae iis temporibus floruit, quibus Hiftorici rerum geftarum memoriam miferrime deturparunt. Certe Trebellius Pollio XXX. Tyrannos illos defcribens, qui Gallieni aetate Romanum Imperium

discerpserunt, ait: *Tanta obscuritas eorum hominum fuit, qui ex diversis Orbis partibus ad Imperium convolarunt, ut non multa de his dici possint a doctioribus, vel requiri. Deinde ab omnibus Historicis, qui Graece & Latine scripserunt, ita nonnulli praetereuntur, ut eorum nec nomina frequententur.* Eiusmodi certe esse debuit Antipater ille Gallus, qui a Trebellio *ancillariorum, & Historicorum dehonestamentum* vocatur, sive, ut Salmasius depravatum hunc Trebellii locum legendum existimat, *ancilla bonorum;* sive potius, ut ego rescribendum putaverim, *Antiquariorum, & Historicorum dehonestamentum*, quum *Antiquarii* nomine Scriptor ille facile intelligatur, qui & veteres auctores exscribit, & antiquas memorias persequitur.

III. Itaque, quum in tanto veterum Scriptorum silentio nulla propemodum spes esse possit ut in illis *Dryantillae* nostrae vel aetas, vel coniux inveniatur, tenuis solum splendor ex ipsa nummi fabrica, characterum forma, capitisque ornatu affulgere poterit. Etenim, ut Antiquarii norunt, ex variis eiusmodi characteribus, indiciis, vel circumstantiis una coniunctis de nummorum, aetate quidpiam statuere subinde licuit. Ita Mediobarbus Tristano (1), ac Vaillantio ducibus Corneliam Superam P. Licinii Valeriani iunioris coniugem fuisse coniecit *ex nummorum eiusdem sculptura, & habitu temporibus convenienti;* quemadmodum Bandurius (2) ipsam ex solis indiciis illis pari propemodum iure etiam Treboniano Gallo concedi posse putavit. Sic Magniam Vrbicam Caro potius, vel Carino, vel Numeriano, quam Maxentio, tribuendam esse ex nummi forma, characteribus, & Augustae ornatu Harduinus, Bandurius, aliique plures existimarunt; Bandurius ipse perspicue diserteque testatur quod Maxentii aetati *nummorum fabrica repugnat* (3), ideoque Vaillantius (4) asserit quod optime meritoque est red-

(1) Pag. 384.
(2) Tom. I. pag. 78.
(3) Pag. 509.
(4) Tom. I. pag. 242.

reddita Caro Vrbica ex sculpturae similitudine cum nummis Cari, & Siglis ad imum nummi appositis, quales in usu fuerunt, ab Aureliano ad Diocletianum. Itaque, si fabrica, & characterum forma, quae in Dryantillae nummo conspicitur, cum nummis aliis conferatur, dubitari plane vix poterit quin Dryantillae nummus ad tempora Gallieno proxima, & ab anno Chr. 220. ad 280. referri debeat.

IV. Longe tamen clarius huius aetatis indicium ex peculiari quodam capitis ornatu, criniumque plexu, vel ordine deduci poterit. Siquidem primo bicornis, aut crescens luna in Dryantillae nummo veluti hinc inde ad ipsius humeros erumpens conspicitur. Eiusmodi vero typus, vel bicornis luna in sequentibus solum Augustis reperitur, quarum aetas expresso primo Augustorum coniugum, vel filiorum anno indicatur

Annia Faustina (1)	218
Iulia Paula (2)	218
Iulia Mammaea (3)	222
Furia Tranquillina (4)	238
Marcia Otacilia (5)	244
Erennia Etruscilla (6)	249
Mariniana (7)	253
Saionina (8)	253
Iunia Donata (9).	
Cornelia Supera (10)	260

Se-

(1) Mus. Theup. pag. 1017. & Valsech. loc. cit.
(2) Froelich. Tentam. pag. 304.
(3) Musel. Tab. 183. n. 1.
(4) Mus. Tab. 108 n. 5.
(5) Beger. Thes. Br. p. 732. & Palat. p. 334. & Musel. Tab. 205. 206. Theup. p. 604.
(6) Beger. Th. Br. p. 733. Palat. p. 336. Theup. p. 745.
(7) Bandur. p. 244. Beger. Thes. Br. p. 741. Mus. Tab. 220. n. 9.
(8) Bandur. p. 235. Beger Th. Br p. 747. Mus. Tab. 224. n. 9.
(9) Bandur. p. 312. Mediobar. p. 396.
(10) Bandur. p. 78.

Severina (1) 270
Magnia Vrbica (2) 282

Eiusmodi Augustarum, ut vides, agmen ducit Annia Faustina Elagabali coniux. Siquidem Valsechius, dum celebrem, fictumque graecum nummum P. Chamillardo a falsario quodam obtrusum describit, asserit anticam ipsius partem, quae Anniae Faustinae vultum exhibet, *ex nummo latino primae magnitudinis Anniae Faustinae sumptam esse, qui in Veneto quodam satis celebri Museo asservabatur* (3); nihilque prorsus hac in parte doctissimi Viri, qui graecum Chamillardi nummum impugnarunt, Valsechio obiecerunt. Itaque in sincero hoc latino nummo, itidemque eximio quoque graeco nummo, qui in Museo Theupolo reperitur, atque a. peritissimis viris ab omni prorsus falsitatis suspicione vindicatur (4), crescens luna ad Anniae Faustinae humeros posita conspicitur; ideoque ritus, ac ornatus ille tunc primum, ut opinor, Elagabali aetate receptus, a sequentibus etiam Augustis faeminis usurpatus fuit, ut in superiori ipsarum serie observatur. Quamobrem, si Iuliam Paulam exceperis, in cuius nummo bicornis luna in sinistra areae parte posita, ac vultui Augustae veluti obiecta reperitur, in omnibus haec sursum conversa, collo subiecta, & ex humeris erumpens conspicitur; ideoque hic ornatus ab anno circiter 218. ad annum usque 284. quo Diocletianus imperium arripuit, viguisse videtur, quum in nullo prorsus earum Augustarum nummo, quae praecesserant, aut proxime insequutae sunt, observetur, & in Zenobia solum occurrat, quae in Oriente Gallieni, Claudii, Aureliani temporibus imperavit: quod nimirum ipsa quoque Romanarum Augustarum symbola, ac ornatum aemulari vellet,

(1) Band. p. 936. 408. Beg. Thes. Brand. p. 761. Musel. T. 233.
(2) Vaill. Tom. III. p. 41.
(3) De init. Alexan. Sev. C. X. p. 91.
(4) Vid. Ephem. Litter. Ital. Tom. VII. p. 108.

let, nisi potius ritus ac ornatus ille in Oriente invectus Elagabali aetate ad Romanos etiam profluxerit.

V. Quod vero ad crinium ordinem, capitisque ornatum attinet, in Dryantillae nummo crines in varios distinctosque fasciculos convoluti ac intorti, & ex posteriori colli parte ad superiorem capitis apicem reducti, ibique veluti in fastigii cuiusdam, tutulique formam collecti conspiciuntur; idemque prorsus crinium ordo, capitisque ornatus in nummis Iuliae Paullae (1), Anniae Faustinae (2) Tranquillinae (3), Otaciliae (4), Etruscillae (5), Mariniana (6) Saloninae (7), Zenobiae (8), Severinae (9), Magniae Vrbicae (10) reperitur; quum tamen in Helena, Theodora, Fausta, Galeria Valeria, ceterisque Augustorum coniugibus post annum 284. neque bicornis luna, neque tutulus ille, neque crinium ordo, ac dispositio observetur (11). Quod si in hoc ipso capitis ornatu varietas quaedam inter Dryantillae nummum aliarumque Augustarum nummos, praesertim Mammaeae, Tranquillinae, Otaciliae occurrit, observari facile poterit quod in ipsis etiam unius, eiusdemque Augustae nummis inter se comparatis insignis interdum varietas reperitur. Sic in duobus Iuliae Domnae nummis tutulus aut fastigium conspicitur (12), quum tamen in ceteribus omnibus desit. Tutulus ipse in Maesae & Mammaeae, Anniae Faustinae, & Orbianae, Iuliae Paulae, Aquiliae, Sbeminatis, at non in Flau-

(1) Froel. loc. cit.
(2) Vaill. loc. cit.
(3) Musel. Tab. 198. n. 5.
(4) Musel. Tab. 205. 206.
(5) Haym. Tom. II. p. 261. Mus. Tab. 211.
(6) Band. p. 144.
(7) Musel. Tab. 24. 25. 324. 325.
(8) Mediob. in Aegypt. p. 394.
(9) Mediobar. p. 365. 990.
(10) Band. p. 510.
(11) Vid. Mediob. pag. 440. 444.
(12) Musel. Tab. 150.

Plautillae nummis obſervatur (1). Plures Saloninae nummi magis Otaciliae nummos, quam ceteros Saloninae eiuſdem in crinium ordine, capitiſque ornatu aemulantur (2). Denique, ſi varios Marinianae (3), aut Plautillae (4) nummos inſpicias, in illarum qualibet varietatem aliquam in capitis ornatu deprehendes, ut quemadmodum nempe bicornis luna non ſemper, ſed aliquando ſolum, exprimebatur, ita quoque capitis ornatus non ſemper idem, ſed aliquando potius nonnihil diverſus ab una eademque Auguſta adhiberetur, vel certe ab Artificibus efformaretur. Itaque, licet in Dryantillae nummo, ſi cum Anniae Fauſtinae, Iuliae Mammaeae, Tranquillinae, Otaciliae nummis comparetur, diſcrimen aliquod offendatur, inferri certe non poterit quod ipſius ornatus eiuſmodi Auguſtarum aetati repugnet. Denique epigraphe IVNONI REGINAE, quae in Dryantillae nummo reperitur, in antiquioribus etiam Auguſtis Sabina, Lucilla, Criſpina, ceteriſque pone ſequentibus ad Saloninam uſque obſervatur (5), quum IVNO REGINA in ipſa quoque Magnia Vrbica occurrat (6).

VI. Ex his coniecturis, characteribus, ac indiciis omnibus una coniunctis apparet Dryantillae nummum inter Elagabali, & Diocletiani initia, hoc eſt ab anno 218. ad annum uſque 284. cuſum fuiſſe; ideoque Dryantillam alicui ex plurimis Imperatoribus, aut Tyrannis illis tribuendam eſſe, qui iis temporibus imperarunt: quum praeſertim plurimae eiuſmodi Imperatorum, ac Tyrannorum coniuges nobis incognitae ſint. Ita prorſus, ut id obiter moneam, ad haec ipſa Dryantillae tempora referri debet

Au-

(1) Muſel. Tab. 171. & 183. & Vaill. T. I. pag. 127.
(2) Ibi Tab. 314. 315. 316. 20.
(3) Tab. 22. & 26.
(4) Tab. 162.
(5) Mediob. p. 440. 444.
(6) Mediob. p. 241.

Augusta illa, quae in recuso nummo apud Froelichium (1) occurrit, in cuius antica parte legitur IVLIA ...CILL. in adversa IVNONI REGIN.... quum in ipso quoque luna bicornis ad humeros, capitis ornatus, adversus typus, epigraphe, characterum forma Saloninae, Severinae, Dryantillae nummis simillima reperiatur. Itaque haec *Iulia ....cilla* hactenus ignota Dryantillae instar ad aliquem ex Imperatoribus, vel Tyrannis illis referri poterit; atque ubi fortasse quidpiam ex loco ipso, in quo Dryantillae nummus inventus fuit, inferri debeat, facilius haec Imperatori, sive Tyranno tribuenda videretur, qui Ingenui, Regiliani &c. instar in Pannonia imperaverit. Sed quid coniecturis istis hic immoror, quae facile profecto afferri, simulque tamen facile quoque reiici, sive contemni possunt? Fortasse potius tentandum, ac subtilius inquirendum an ex ipso *Sulpiciae*, & *Dryantillae* nomine quidpiam exsculpi possit, quod ipsius aetatem, & coniugem meliori quodam coniecturae, vel divinationis genere nobis ostendat.

VII. Ac initio quidem observari plurimum velim quod Graecum *Dryantillae* nomen non obscure nobis ostendit feminam hanc ante usurpatum *Augustae* nomen servili, vel libertino genere oriundam, libertate donatam, atque in *Sulpiciam* gentem a Sulpicio quodam adscitam fuisse; nisi fortasse potius eo nomine a marito, cui nupserat, quam ab alio, decorata fuerit. Ita certe Livia Augustarum prima ex mariti nomine *Iulia* vocata fuit; Iulia Domna, eiusque soror Iulia Maesa, ac duo quoque Maesae eiusdem filiae, Iulia Soemias, ac Iulia Mammaea, quamvis in Syria nobili tamen genere ortae forent, Graeco, vel Syriaco nomini Latinum *Iuliae* nomen in gentem *Iuliam* adscitae adiecerunt. *Salonina* antequam Gallieno nuberet, *Chrysogone* appellabatur; ac nomen illud, quamvis in Latinis Saloninae nummis diffi-

B mu-

(7) Tentam. pag. 438.

muletur, in Graecis tamen saepius occurrit: perinde ac si Graeciae populi Graeca muliere ad Augustae dignitatem evecta gloriarentur. Salonina Cornelii Salonini coniux *Cornelia Salonina* in Marmoribus appellatur; & Gnaea Cornelia Supera a Licinio Cornelio Valeriano coniuge *Corneliae* nomen accepisse videtur; quod ipsi quoque Licinio Valeriano seniori commune esse debuit, si ad Corneliam gentem, ut creditur, ille spectavit. Severina Aureliani coniux ab *Vlpio* Crinito, qui Aurelianum ipsum anno 258. adoptaverat, ideoque in *Vlpiam* gentem adsciverat (1), *Vlpiae Severinae* nomen obtinuit, quamvis in Aureliani nummis neque *Vlpiae*, neque *Aureliae* sed *Domitiae* solum gentis nomen occurrat. *Iunia Donata*, quae M. Cassio Latieno Posthumo velut uxor tribuitur, nisi Posthumus ipse *Iuniae* familiae nomen dissimulaverit, fortasse potius C. Iunio Cassio Posthumo ipsius filio concedi poterit, ut illa a marito *Iuniae* nomen acceperit: siquidem nummus ille Posthumi patris, in quo mulieris, simulque Posthumi iunioris caput exhibetur, optime intelligi ac explicari poterit si Iunia Donata Posthumi filii non *mater*, sed *uxor* dicatur. Helena, & Maximiana Flavii Constantii Chlori coniuges ab illo Flaviae nomen acceperunt, Fausta a *Flavio* Constantino coniuge *Flaviae* nomen obtinuit, atque, ut cetera exempla omittam, Galeria C. Galerii Diocletiani filia non ab alio, quam C. Valerio Maximiano Armentario, cui nupserat, *Valeriae* nomen sortita; ideoque *Galeria Valeria* vocata fuit. Quamvis autem Eutropia Maximiani Herculii coniux in Syria nata non alio, quam veteri Eutropiae, nomine vocaretur, idemque mos in aliis etiam Augustorum coniugibus observetur; ab iis tamen, quae prius servae ac libertae fuerant, ex veteri constantique Romanorum lege patroni, vel mariti nomen usurpatum esse conspicimus: quod optimo maximoque iure Dryantillae nostrae con-

(1) Vopisc. in Aur.

contigisse potuit, quae facile ut Graecum nomen ostendit, servilis, aut libertinae conditionis esse debuerat, ut liberta illa SVLPICIA APHRODITE, cui conlibertus, aut maritus C. SVLPICIVS HERMADIO titulum posuit (1), itidemque *Dryas*, cuius nomen in Muratoriano Lapide (2) occurrit: & sicut olim ex Dryante Thraciae rege ipsius posteri *Dryantiadae* (3) sunt appellati, ita quoque Dryantilla nostra ex *Dryante* quodam eius patre *Dryantillae* nomen accepit. Itaque, si Dryantilla servilis generis fuit, ac *Sulpiciae* nomen ab Augusto coniuge plurium instar accepit, quorum utrumque longe veri simillimum esse iam vidimus, *Sulpicius* aliquis, & si fieri quidem possit, servilis etiam aut libertini generis inquirendus erit, qui ante imperium *Sulpicii* nomine vocaretur, ideoque Dryantillae coniugi *Sulpiciae* nomen concesserit; ut proinde haec in nummis *Sulpicia Dryantilla* appellari potuerit.

VIII. Superioribus annis nostraque aetate duo numismata primum Eruditorum oculis affulsere, quibus *Sulpicii* veluti *Augusti* nomen inscribitur. In primo, quod aereum Graecum atque Emesae in Syria cusum fuit, circa laureatum Augusti caput legitur (4)

ΑΥΤΟΚ. ΣΟΥΛΠ. ΑΝΤωΝΙΝΟΣ ΣΕ.

Imperator Sulpicius Antoninus Augustus

atque in adversa parte circa Templum Deo Soli dicatum habetur

ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝΙ ΕΞΦ

 Al-

(1) Doni Clas. XIV. n. 5.
(2) Pag. 920. n. 6.
(3) Ovid. in Ibin.
(4) Haym. Tom. I. p. 278.

Alteri vero nummo, qui aureus, & latinus est, atque a Cl. Maffeio (1) omnium primo anno 1734. deinde a Bimardo (2) descriptus fuit, circa laureatum Imperatoris caput inscribitur

L. IVL. AVR. SVLP. VRA. ANTONINVS

atque in adversa parte circa mulierem stolatam stantem, dextra cornucopiae, temonemque sinistra tenentem conspicitur

FECVNDITAS AVG

Posteriorem ex his nummis, in quo plura, ac illustria nomina reperiuntur, ad Alexandri Severi tempora referendum esse ex nummi ipsius fabrica, & characterum forma putavit Bimardus (3), optimeque Maffeio duce coniecit ad *Vranium* illum spectare posse, qui Zosimo, ac Syncello testibus a militibus Alexandro infensis Imperator vocatus, ac purpura indutus fuit. Addit etiam *Vranium* ipsum cum eo *Vranio Antonino* fortasse confundi posse, qui in lege quadam 16. Novembris die anni 223. ab Alexandro edita memoratur (4), ideoque Vranium non *servilis*, ut Zosimus, ac Syncellus asserunt, sed nobilis ac spectati generis fuisse. Denique suspicatur Bimardus *Vranium* ipsum fortasse cum *Antonino*, & *Taurino* confundendum esse, qui veluti distincti Augusti, Tyranni, sive rebelles ab Alexandro Caesare variis a Scriptoribus memorantur.

IX.

(1) Galliae Antiqu. Ep. 22. pag. 118.
(2) Introd. ad Scien. Num. p. 348.
(3) Pag. 352.
(4) Dig. Tit. 46. l. 71.

IX. Ac certe quidem, ut inde exordiar, Aurelius Victor (1), totidemque verbis Paulus Diaconus memorant quod *Alexandro imperante Taurinus Augustus effectus ob timorem ipse se Eufrati fluvio obiecit*. Zosimus (2) vero nihil omnino de Taurino memorans ait quod languente iam militum in Alexandrum amore *quemdam Antoninum ad imperium producunt, sed quum recusata imperii mole, se hominum ex oculis subduxisset*, Οὐράνιος δέ τις ἐκ δυλείυ γένυς ἀναῤῥηθεὶς παράχρημα μετὰ τῆς ἁλυργίδος Α'λεξάνδρῳ προσήχθη, *& Vranius quidam ex servili genere designatus confestim una cum purpura deductus ad Alexandrum fuisset, conceptum quidem adversus Imperatorem odium crescebat, ipse vero quid in circumstantibus undique periculis faceret haesitans & corpore mutatus erat, & ab inditis a natura dotibus animi*. Itaque, quum eadem fere tum de *Taurino*, tum de *Antonino* quoque memorentur, facile cum Bimardo, ac Tillemontio suspicari quis poterit unum ab altero distingui non posse, ideoque Zosimum quidem ex unico *Vranio Antonino* Tyrannos duos *Vranium*, & *Antoninum* confinxisse; ceteros autem Scriptores Tyrannum illum *Taurinum* vocasse, qui vero integriorique nomine *Vranius* vel *Vranius Antoninus* vocabatur; quemadmodum Tillemontius (3) fieri potuisse coniecit ut *Taurinus*, veroque nomine *Vranius*, ex Eufrate fluvio sospes evaserit, moxque purpura ornatus ad Alexandrum deductus fuerit. Eiusmodi sane coniecturae plurimum splendoris ac praesidii ex Syncelli, vel antiquioris Scriptoris, quem Syncellus exscripserat, historia accedere posse putaverim. Siquidem Syncellus nihil omnino sive de *Taurino*, sive de *Antonino* memorans solam *Vranii* rebellionem, additis etiam temporis & locorum circumstantiis ita describit. Οὐράνιος δέ τις ἐν Ε'δέσσῃ τῆς Ο'σροηνῆς Α'υτοκράτωρ ἀναγόρευθεὶς,

(1) Epito. c. 24.
(2) Lib. I.
(3) In Alex. art. 18. & 22.

κ̀ κατὰ Ἀλεξάνδρυ τυραννεύσας διαφθείρηται ὑπ' ἀυτῦ ἥνικα κ̀ τὰς Πέρσας.. Ἀλέξανδρος ἐξώθησεν *Vranius quidam Edessae in Osrhoene Imperator proclamatus, & contra Alexandrum tyrannidem exercens superatus est ab ipso quando Alexander Persas etiam eiecit*: moxque narratis aliis concludit quod tandem Alexander ipse μετὰ τὴν ἀναίρεσιν Οὐρανίυ τῦ Τυράννυ, κ̀ τὴν κατὰ Περσῶν εὐδοκίμησιν *post Vranii Tyranni caedem, & res adversus Persas prospere gestas* Romam reversus triumphavit. Itaque, cum bellum Persicum anno 227. inceperit (1), Alexander adversus Persas anno 229. iter susceperit, tandemque de Persis anno 230. triumphaverit, huius expeditionis tempore militum seditio, ac Vranii electio, moxque ipsius caedes constitui debet; quemadmodum prorsus ad haec ipsa tempora referenda forent quaecumque de *Taurino*, & *Antonino* a Zosimo, Victore, Paulo Diacono memorantur, si Taurinus ille, & Antoninus ab Vranio distingui possent (2).

X. Quandoquidem vero tanta est in Zosimo, & in ceteris omnibus temporum illorum Scriptoribus incuria, perplexitas, ac perturbatio, ut nihil propemodum certi ex ipsorum historia exsculpi posse videatur, tenebras illas felicioribus aliis dispellendas relinquo; idque unum ex clariori, sibique constanti Syncelli testimonio constitui posse confido quod Vranius ille, qui Edessae licet invitus imperium suscepit, non repente ab Alexandro superatus fuit, sed aliquo temporis spatio imperium sive tyrannidem occupavit. Sic enim ille vere τύραννος, τυραννεύσας *tyrannus*, *tyrannidem exercens* vocari, & Alexander de superato Vranio gloriari ac triumphare potuit. Quinetiam ipsa quoque, licet ambigua, Zosimi verba id innuere videntur. Quamvis enim is asserat Vranium a militibus designatum confestim una cum purpura ad Alexandrum

(1) Bayer. Histor. Edes. p. 194.
(2) Viden. Tillem. art. 18. & 22.

drum deductum fuisse, perinde ac si non a rebellibus, sed ab Alexandri militibus captus, ad Caesarem deductus, eiusque iussu trucidatus fuerit; fieri tamen profecto potuit ut Vranius a rebellibus potius Imperatori obiectus fuerit, moxque iisdem stipatus recesserit; quemadmodum prorsus milites eidem ipsi Alexandro rebelles Maximinum licet *invitum ad imperium pertraxerunt; qui iis militibus assumptis, a quibus Imperator appellatus fuerat, statim ad Alexandri tentorium contendit* (1). Hinc Alexander, ut subdit Zosimus, inexpectato aemuli Vranii conspectu, militumque rebellium audacia perterritus *in circumstantibus undique periculis baesitavit*, simulque corporis, animique dotes mutavit: quod intelligi sane non posset si Alexander tyrannum sibi a suis oblatum repente sustulisset. Itaque sic statuo quod Vranius ille, qui a suis, iis nimirum a quibus electus, ac purpura indutus fuerat, stipatus adspectu suo Alexandrum commoverat, aliquo temporis spatio occupatam tyrannidem tenuit donec ab Alexandro ante Persicum bellum circa annum Chr. 230. victus fuit.

XI. Si id ego rite coniecerim, cur nummus ille, qui inscribitur

L. IVL. AVR. SVLP. VRA. ANTONINVS,

huic Vranio concedi, & Augustus ille *Sulpicius Vranius* cum *Sulpicia Dryantilla*, quae *Sulpicii Vranii* coniux esse potuit, ad Alexandri Severi tempora, annumque Chr. 230. referri non poterit? Ita certe haec Augusta, quae *liberta* fuerat, non alteri verisimilius, quam *liberto* Augusto, concedetur: *Sulpicia* Augusta cum *Sulpicio* Augusto in conditione & nomine quoque conveniet, illudque nomen ab Augusto coniuge *conliberto* olim suo, sive, si libeat, a Sulpicio quodam utriusque patrono pridem accepisse videbitur: bicornis luna, capitis ornatus, characterum forma, epigra-

(1) Zonar. Libr. XII. n. 15.

epigraphe, cetera indicia singula, quae in Dryantillae, & Vranii nummis occurruat, ad Alexandri tempora satis accommode referentur. Sin vero quemlibet ex Augustis aliis elegeris, qui iis temporibus imperarunt, intelligi sane, vel explicari vix poterit cur ille libertam potius duxerit, ipsique *Augustae* nomen concesserit; nec facile explicari etiam poterit cur idem *Sulpicii* nomen non libertae solum, sed Augusto quoque coniugi commune fuerit, nisi ipse quoque libertus fuisset, atque una cum coniuge & conliberta *Sulpicii* nomen a patrono accepisset.

XII. Quamvis autem utriusque nummus, si in Oriente cusus fuit, non Graecis, sed Latinis litteris exornetur, quis ignoret in nummis etiam in Graecis urbibus, quae Romanorum Coloniae forent cusis, latinas epigraphas reperiri (1), quemadmodum prorsus nummos Antiochiae, Troade, Tyri cum Alexandri Severi imagine percussos esse conspicimus, qui tamen non Graecis, sed Latinis solum characteribus exornantur? Ita Cyriadis Tyranni nummi ex quolibet metalli genere cum hac epigraphe reperiuntur (2)

IMP. CAESAR M. CYRIADES P. F. AVG
IMPERATORVM AVGG. ADVENT

quum tamen Cyriades ille Antiochiae anno 258. imperium invaserit, nec alibi certe, quam in Oriente solo, imperaverit. Ita vicissim Pisonis tyranni, qui in Thessalia paucis diebus imperavit, non in Thessalia solum, sed in Aegypto quoque quo rebellio pervaserat, nummi cusi sunt (3). Appii Claudii Censorini qui anno 269. Bononiae electus (4), ac septimo imperii die sublatus fuit (5) tum La-

(1) Mediob. p. 325.
(2) Bandur. pag. 146.
(3) Band. p. 276.
(4) Tillem. Tom. III. p. 496.
(5) Band. p. 356.

Latini tum Aegyptii nummi reperiuntur. Maxima nimirum atque incredibilis plane celeritas a militibus, vel monetariis adhibebatur, ut novi Augusti nummos procuderent; eiusque electionis famam ad exteras etiam gentes diffunderent. Hinc M. Aurelii Marii tum aerei, tum argentei, tum aurei quoque nummi reperiuntur (1), quamvis ille imperio vix degustato tertio post electionem die interemptus fuerit (2); ideoque facilius Sulpicii Vranii nummi inveniri potuerunt, qui pluribus fortasse mensibus tyrannidem aut imperium occupavit. Ex hac ipsa quoque in cudendis nummis celeritate fieri fortasse etiam potuit ut tumultuantes milites, qui Vranium ad imperium evexerant, in castris illis Latinos sibique familiares nummos cudi iusserint, atque ob imperitiam, & oscitantiam in adversa parte typum, & epigraphem Augustae propriam in Vranii Augusti nummo impresserint, FECVNDITAS AVG., quae frequenter adeo in Augustarum nummis atque in ipsa quoque Mammaea, quae tunc Alexandri mater erat, occurrit (3). Licet enim titulus ille Augustarum proprius foret, aliquando tamen in Imperatoribus etiam conspicitur, ut in Gallieni nummo simili prorsus errore legitur FECVNDITAS AVG. (4); sicuti vicissim in Etruscillae nummo legitur ADVENTVS AVG. (5): quod nimirum rudioribus iis temporibus Augustorum typi & epigraphae ipsis etiam eorum uxoribus concederentur, ac *Fecunditatis* typus ab Augustis ipsis non abhorreat, ubi praesertim liberos ab Augusta coniuge suscepissent. Certe Bimardus existimavit quod *Sulpicius Antoninus*, qui in Graeco nummo superius exposito memoratur, huius *Sulpicii Vranii Antonini* filius

C fue-

(1) Band. p. 276. & Mediob. p. 388.
(2) Trebel. in Gallien.
(3) Mediob. p. 326.
(4) Band. p. 214.
(5) Band. p. 30.

fuerit, ideoque imperium veluti paterno, ac haereditario iure occupaverit. Neque tamen id ego perſpicuum, & exploratum eſſe conceſſerim, quod Vranii, ac Dryantillae nummus in Oriente cuſus fuerit. Etenim, licet Vranius ipſe purpuram, & Auguſti nomen in Oriente acceperit, facile tamen a militibus, vel Legionibus aliis, quae in aliqua Italiae vel Occidentis parte morabantur, haec Vranii electio probata, eodemque rebellionis ardore confirmata fuit, ideoque nummi cum novi Auguſti, Auguſtaeque coniugis imagine ſtatim percuſſi; quod ſuperioribus Cyriadis, Cenſorini, Piſonis, aliorumque exemplis confirmatur.

XIII. Quod autem plura, eademque praeclara nomina in hoc Vranii nummo reperiantur, licet ille ἐκ δουλείου γένους *ex ſervili genere* originem duceret, tantum abeſt ut ea de cauſſa nummus ille Vranio noſtro repugnet, ut eximia potius coniectura deduci inde poſſit quod ipſe ab Vranio ſolo cudi potuerit. Etenim, ſi ſolum *Vranii* nomen argumento eſſe poterit ipſum ex ſervili genere oriundum fuiſſe, cetera tamen *Iulii Aurelii Sulpicii* nomina oſtendunt ipſum iam libertate donatum in Sulpiciam gentem adſcitum fuiſſe, atque una cum ceteris Patroni nominibus *Antonini* quoque nomen habuiſſe, eius *Vranii Antonini* inſtar, qui in Alexandri Lege memoratur; niſi fortaſſe hoc poſtremum adſcito imperio uſurpavit, quod *Antoninorum* nomen militibus carum, acceptumque foret, ideoque Vranio militum amorem conciliare facile poſſet. Ceterum, licet Vranius ipſe tot illuſtria familiarum *Iuliae*, *Aureliae*, *Sulpiciae* nomina a Patrono accepta oſtentaret, frequentius tamen ex recepto iam more poſtremae ſolum nomen uſurpare ille potuit, ideoque brevius *Sulpicius Vranius* vocari. Certe Noriſius (1) de variis Conſulum nominibus loquens ait, quod *quoties Conſul plura cognomina ferebat*, *poſtremo tantum in Faſtis ſignabatur*: idque

(1) Epiſt. Conſ. p. 475.

idque in Auguſtis etiam uſitatum eſſe conſpicimus. Ita prorſus, ut aliqua temporum illorum exempla proferam, Auguſtus ille, qui frequentius ſolo *Gallieni* nomine in nummis occurrit, quamvis ad *Corneliam*, *Liciniam*, & *Egnatiam* familiam ſpectaret, ideoque ſaepe *P. Licinius Egnatius Gallienus* vocetur, atque in nummis etiam ΠΟΥ. ΛΙΚ. ΙΓΝΑ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC habeatur, in veteri tamen Lapide ſolum *Egnatiae* nomen oſtentat

IM. EGNATI PII FEL. AVG.

ex quo Reineſius (1) anſam arripuit ut hoc *Egnatii* nomine non Gallienum ipſum, ſed eius fratrem, deſignari crederet, quum tamen in lapidibus aliis idem Egnatii nomen IMP. CAES. P. LICINIO EGNATIO GALLIENO PIO FEL. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. III. COS. tribuatur (2). Ita quoque Aurelianus ad *Vlpiam*, *Valeriam*, *Domitiam* ſtirpem ſpectavit; plerumque tamen poſtremae ſolum familiae nomen occurrit, ideoque in nummis legitur IMP. C. L. DOMITIVS AVRELIANVS AVG. Itaque, licet Vranius *Iulii Aurelii Sulpicii* libertus foret, ideoque ſingula Patroni nomina exprimere poſſet, facilius tamen peculiare *Sulpicii* patroni nomen uſurpaſſe videtur, quum liberti aliquando ipſam quoque Patroni familiam reticerent. Sic in Romanis Legibus *Vranius Antoninus* diſſimulato familiae, vel patroni nomine occurrit, quamvis ille perſpicue certoque in familiam aliquam adſcitus eſſet.

XIV. Quo certe loco mirari quis poterit Bimardum, doctiſſimum alioquin virum, ex hoc *Vranii Antonini* nomine exiſtimaſſe quod ipſe nobilis, atque in Alexandri Caeſaris aula ſpectatus fuerit, ideoque Sulpicius Vranius in Latino nummo memoratus non libertini, ſed nobilis

 ſpe-


(1) Rein. Clas. III. n. 41.
(2) Murat. pag. 254. n. 4. & 5.

ſpectatique generis eſſe potuerit. Facile nimirum Cl. Vir obſervare poterat quod *Vranius Antoninus* in Alexandri Lege memoratus pro Iulio Pollione, & Iulio Rufo pecuniam mutuo accipientibus *mandator* inducitur, idque non civi ſolum, aut nobili, ſed liberto quoque convenire poterat, quum ipſi quoque liberti civium honoribus, ac muneribus fungi poſſent. Itaque nullum prorſus diſcrimen inter *Vranium* a Zoſimo, & Syncello memoratum atque *Vranium Antoninum* in Lege indicatum perſpicue certoque afferri poſſe putaverim, & ſi fortaſſe cum Bimardo ipſo quis arbitretur eundem illum *Vranium Antoninum*, qui pecuniae mutuo datae mandator fuerat, imperium invaſiſſe, nihil perſpicue certoque opponi poſſe ego cenſeo. Id unum tum ex perſpicuis Syncelli verbis, tum ex aereo Latino nummo deduci poſſe confido, quod *Vranius* quidam non generis nobilitate, ſed fortaſſe potius ingenio, robore, alacritate, audacia conſpicuus a militibus electus fuit, atque ille libertorum inſtar integrum Patroni nomen aſſumpſit, ut proinde in ipſius nummo *L. Iulius Aurelius Sulpicius* vocetur. Itaque in hac hypotheſi Latinus hic nummus ad Alexandri Severi tempora, atque annum 229. referendus erit, atque ubi Sulpicia Dryantilla eius Auguſti coniux dicatur, ipſe quoque eiuſdem nummus ad haec ipſa Alexandri, Auguſtarumque Anniae Fauſtinae, Iuliae Mammeae, aliarumque tempora revocandus erit, in quarum nummis eadem bicornis luna, idemque fere capitis ornatus, ſimilis characterum forma, ac indicia reliqua conſpiciuntur.

XV. Si fortaſſe tamen feliciores alii, quibus eximium Dryantillae nummum inſpicere, contrectare, cum aliis accurate conferre licet, ipſum ad Alexandri Severi tempora referri non poſſe decreverint, ideoque Dryantilla ipſa ſequioribus ſolum Gallieni imperantis temporibus adſcribenda ſit, eadem ipſa Gallieni aetate *Sulpicius* alter ſupererit, qui ſuperioris inſtar tyrannidem occupavit,

ac

ac ipſe quoque vel libertini, vel obſcuri generis eſſe potuit, nimirum *Sulpicius Antoninus*, qui in priori, graecoque nummo ſuperius expoſito memoratur. Quamvis enim eximium hunc nummum Patarolius ad Caracallam referendum eſſe coniecerit, aliique potius ad Elagabalum revocaverint, perſpicue tamen apparet ipſum ab utriuſque effigie, atque aetate differre, idque potiſſimum Seleucidarum epocha Emiſenorum nummis impreſſa demonſtrat; quum annus ille 565. in ea numeratus ab autumno anni 253. inceperit, quo primus Valeriani & Gallieni annus in imperio agebatur. Itaque, quum nummus ipſe Bimardo iudice ſincerus ſit, dubitari certe non poterit quin iiſdem ipſis temporibus quibus Valerianus imperium in Rhaetia obtinuit, *Sulpicius Antoninus* alicubi, ac fortaſſe in aliqua Syriae, vel Orientis parte imperium ipſum invaſerit, atque aliquo temporis ſpatio ferventibus militum ſeditionibus occupaverit. Ac certe quidem quum Aemilianus ineunte anno 253. a Treboniano deſciſcens imperium arripuiſſet, diſſidia, militumque ſeditiones, Zonara teſte (1), ſubortae ſunt, tandemque Aemiliano poſt tertium imperii menſem ſublato, Licinius Valerianus ineunte Iunio Imperator in Rhaetia electus fuit. Itaque facile turbatis imperii rebus Tyrannus alter, aut Imperator in Syria prodire potuit, cui nummi veluti *Sulpicio Antonino Auguſto* cuſi fuerint. Optime quidem novi, ingenueque fateor quod *Sulpicius* ille neque a Zoſimo, neque ab ullo prorſus ex Scriptoribus aliis memoratur, qui Tyrannos plurimos Gallieni temporibus celebres deſcripſerunt. Sed obſervari facile poterit quod Zoſimus ipſe dum varios ex Tyrannis illis recenſet, *Antoninum* quoque memorat, qui Cecropis, Aureoli, aliorumque plurium inſtar imperium invaſerit; nihilque veriſimilius admitti poteſt, quam quod *Antoninus* ipſe unus idemque eſſe debeat, qui in Graeco nummo *Sulpicius Antoninus* vocatur; quemadmodum prorſus



(1) Annal. Lib. XII. n. 22.

ſus *Vranium* illum, qui ab eodem Zoſimo memoratur, unum eundemque fuiſſe diximus, qui in Latino nummo *Sulpicius Vranius Antoninus* appellatur. Zoſimus quidem aſſerit quod ex iis rebellibus *οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ὑπή-χθησαν δίκῃ*, Αὐρίολος *δὲ ἀλλοτρίως πρὸς τὸν Βασιλέα διε-τέλεσεν ἔχων* *ceteri propemodum omnes poenas dederunt, Aureolus vero infeſto erga Imperatorem animo eſſe perrexit.* Fieri tamen profecto potuit ut *Antoninus* etiam, ſive, ut opinor, *Sulpicius Antoninus*, Aureoli inſtar per aliquod temporis ſpatium tyrannidem conſervaverit; & quamvis etiam paucis ille menſibus, aut diebus imperaſſe dicatur, nihilo tamen minus Cyriadis, Cenſorini, Marii, aliorumque inſtar nummos edere, ſuoque Auguſti nomine ornare ille potuit. Quod vero Zoſimus ipſe teſtatur *Ceropem*, *Aureolum*, *Antoninum*, *alioſque plures* iis temporibus rebellaſſe, quibus Scythae partim Illyricum, partim etiam Italiam ipſam miſerrime populabantur, nimirum anno 258. ſive 259. ideoque ſerius quam Graecus Sulpicii Antonini nummus cuſus fuit, reſponderi facile poterit Scriptorem illum temporum ſeriem miſerrime perturbaſſe; quemadmodum ſane Aureoli rebellionem iis temporibus contigiſſe dicit, quibus Gallienus in Italiam redux anno 268. interemptus fuit, quum tamen illam longe maturius ante decennium erupiſſe dixiſſet. Sed quid in eiuſmodi Zoſimi erroribus deſcribendis hic immorer, quum nummus ipſe vel tacente, vel repugnante Zoſimo perſpicue certoque nobis oſtendat quod *Sulpicius Antoninus* Gallieni temporibus Auguſti nomen accepit? Itaque id unum inquirendum ſupererit qua patria, quo genere, qua conditione Sulpicius ille fuiſſe videatur.

XVI. Haymus ſubtiliter, ingenioſeque coniecit Sulpicium hunc eius Sulpiciae Memmiae fratrem fuiſſe, quae Alexandro Severo nupſerat, ideoque Auguſtae nomen in nummo oſtentat (1); ſed ab illo repudiata, atque in Libyam

(1) Segvin. pag. 184. vid. Tillem. in Alex.

byam relegata fuit poſtquam *Sulpicius Macrianus* Caeſar eiuſdem Sulpiciae pater ab Alexandro occiſus fuit. *Antonini* vero nomen a Sulpicio ipſo ea de cauſſa arreptum fuiſſe credit Haymus quod ipſe quoque ad Antoninorum, & Alexandri genus ſpectaret, qui ſane Antonini Elagabali *conſobrinus* erat. Quum tamen Sulpicius ille Sulpiciae Auguſtae frater a nullo prorſus ex Scriptoribus memoretur; ingenioſa Haymi coniectura pluribus a Bimardo (1) feliciter, accurateque refellitur. Bimardus(2) ipſe, ut opportune iam monui, quum Latinum Vranii nummum Alexandri tempora praeſeferre teſtetur, exiſtimat *Sulpicium Antoninum* in Graeco nummo expreſſum Vranii ipſius filium ac haeredem fuiſſe; ideoque quum Gallieni temporibus diſcerpto fere Romano imperio ubique gentium in dies novi Tyranni orirentur, ipſum quoque ad imperium veluti paterno iure ſibi debitum alicubi adſpiraſſe, nummoſque ſolo *Sulpicii Antonini* nomine ſignaſſe, quum tamen eius pater integrum *L. Iulii Aurelii Sulpicii Vranii Antonini* nomen expreſſerit: quemadmodum ſane plurimis exemplis aliis apparet quod in Auguſtorum nummis modo plura, modo pauciora ex eorum nominibus exprimuntur. Itaque, ut coniecturas omnes paucis complectar, ſi *Sulpicius Antoninus* in Graeco nummo expreſſus, qui anno 253. Gallieni temporibus *Auguſti* nomine fruebatur, ex optima Cl. Bimardi coniectura *L. Iulii Aurelii Sulpicii Vranii Antonini* filius fuit, ſi Sulpicius Vranius Antoninus libertini generis fuit, itidemque Dryantilla Auguſta quum liberta foret, a Sulpicio quodam, longeque facilius a coniuge *Sulpiciae* nomen accepit, ſi characteres omnes, ac indicia ſingula, quae in ſingulari ipſius nummo conſpiciuntur, ipſis etiam Gallieni temporibus pulcherrime, accurateque conveniunt, quid veriſimilius admitti unquam poterit quam *Sulpiciam Dryantillam* non alteri, quam *Sul-*

(1) Introd. ad Scient. Numiſ. p. 355. Tom. II.
(2) Pag. 352.

Sulpicio Vranio Antonino, veluti coniugem concedi posse?

XVII. Quandoquidem vero universa quae de *Sulpicio Vranio*, & *Sulpicio Antonino* iam dixi, tenuis solum coniecturae loco habenda fore iam monui, quid vetat ne coniecturam aliam hic proferam, ac Dryantillam ipsam non Tyranno, sed potius Augusto Tyrannis omnibus nequiori concedam? Eiusmodi certe fuit Carinus ille optimi Cari filius, qui a patre imperium adeptò anno Chr. 282. Caesar una cum Numeriano fratre *declaratus*, moxque, ut videtur, ineunte secundo imperii anno, nimirum ante Sept. anni Chr. 283. *Augusti* nomine donatus fuit, eamque dignitatem integro biennii spatio occupavit, donec Diocletianus XVI. Kal. Octobres electus, & Carinus ipse ineunte tertio imperii anno post Augusti mensis initium anno 285. trucidatus fuit. Siquidem sceleſtissimus hic Imperator corruptis adeo moribus fuit, ut *uxores ducendo, & reiiciendo novem duxerit, pulsis plerisque praegnantibus* (1). Itaque, quum feris adeo, & contaminatis moribus foret, quis aperte non videat vix ac ne vix quidem fieri potuisse ut ulla ex matronis, aut liberis honestisque feminis ad ipsius nuptias, ipsa quoque aliarum instar mox eiicienda, adspiraret, adeoque facilius ad Augusti thorum, & Augustae nomen mulieri potius libertini generis aditum patuisse? Ita certe Dryantilla, quae liberta fuerat, atque a Sulpicio quodam veluti patrono libertate donata, & in Sulpiciam gentem recepta Carino nupta *Sulpiciae Dryantillae* nomen in nummis ostentare potuit; quumque Carinus brevissimo temporis spatio, quo Caesar, & Augustus fuit, novemque uxores plerumque praegnantes dimisit, saepius in Illyrico moraretur ut Vopisco teste *Regem illum Illyrici plerique vocitarent*, tandemque in Dalmatia a Tribunis militum quorum thorum violaverat, interemptus fuerit, Dryantillae nummus facile in Illyrico cudi, ad finitimas gentes deferri, tandem-

(1) Vopis.

demque feliciter in Auftria fuperiori reperiri nunc potuit.

XVIII. Optime quidem novi quod paucis ab hinc annis Cl. Stofchius exiftimavit Carini coniugem Magniam Vrbicam fuiffe, ideoque tandem controverfiam illam feliciter diremptam effe putavit, quae de Magniae Vrbicae marito inter Antiquarios exarferat. Aereus nempe nummus Cl. Viro oblatus fuerat, in cuius antica parte legitur IMP. CARINVS AVG, in adverfa vero MAGNIA VRBICA AVG, ideoque iam certum, & exploratum effe videbatur quod Vrbica ipfa non alteri, quam Carino Augufto, concedi debeat. Mihi vero doctiffimi Viri ratio non ea videbatur, quae plane perfpicua ac indubia cenfenda foret, ac veterem controverfiam illam dirimeret. Siquidem pluribus certifque exemplis erudimur quod aliquando in Caefarum nummis ipforum matris effigies, fimulque nomen exprimitur. Sic Elagabali vultus cum Iuliae Soemiadis eius matris imagine reperitur (1). Alexandri Severi, fimulque Iuliae Mammaeae, quae ipfius mater erat, imago in uno eodemque nummo confpicitur (2). Nero cum Agrippina matre, & Adrianus (3) cum Plotinae vultu, quae ipfius adoptionis iure mater erat, occurrit. Quid ergo prohibet quin Vrbica quoque una cum Carino expreffa, ipfius non *uxor*, fed *mater*, habeatur; ideoque Augufta illa non Carini, fed Cari potius, ut Genebrerius exiftimavit, uxor fuerit? Certe in nummis aliis Vrbica cum duobus togatis filiis exhibetur (4) cum epigraphe PVDICITIA AVG, quod optime profecto illi convenit fi Cari coniux fuerit, ideoque illi duos liberos Carinum, & Numerianum genuerit, qui adeunte imperium Caro anno 282. iam togati effe debuerant, quum

D Nu-

(1) Haym. Tom. II. p. 254.
(2) Ibi p. 258. Vaill. Tom. III. p. 176.
(3) Liebe pag. 442.
(4) Band. p. 510.

Numerianus ante annum Chr. 284. quo interiit, uxorem duxerit. Id vero vix ac ne vix quidem convenire illi poterat, si Carini uxor dicatur; quum ipse brevissimo temporis spatio, quo post optimi sapientisque principis Cari mortem imperavit, novem coniuges, ac plerasque ex illis praegnantes repudiaverit; quod certe vivente Caro tentare non poterat, ne imperio, quod Carus decreverat (1), spoliaretur. Accedit etiam quod nulla prorsus Carini filiorum mentio in Scriptoribus reperitur, qui tamen facile cum patre trucidati, vel a Diocletiano sublati dicerentur. Denique Calphurnius ille, qui diligenter adeo, distincteque Ludos anno 283. Romae a Carino die 12. Septembris editos describit, singulos civium, procerum, aulicorum ordines, & Augustae Domus Principes absentes etiam nominavit, Carinum quidem & Numerianum *divi fortissima pignora Cari* memorat; se omnia tamen in Carino solo Romae conspexisse testatur, nihilque prorsus de filiis, qui puberes, & togati esse debuerant, indicavit. Itaque, nisi plurimum fallor, Magnia Vrbica Carini *mater*, non *uxor* haberi debet, ideoque semper locus esse poterit ut Dryantilla Augusta Carini uxor censeatur.

At fuerit etiam, si libet, Magnia Vrbica nefarii Caesaris Carini coniux, quis aperte non videat quod ipsa quoque Dryantilla, postquam Vrbica repudiata foret, inter sequentes, ac infelices Carini coniuges esse potuit, atque inter octo alias locum aliquem occupare? Ita sane Dryantillae nummus cum Magniae Vrbicae nummis pulcherrime, & accuratissime conveniet, atque ubi liberta *Augustae* nomine decorata non Tyranno, sed *Augusto* potius liberta digno concedi debeat, nulli propemodum verisimilius, quam Carino, adscribi illa poterit.

EDV-

(1) Vopis. in Car.

EDVARDI CORSINI
EPISTOLA
DE
AURELIANI
IMPERATORIS
NVMMIS ATQVE AETATE.

ILLUSTRISS.MO AC REV.MO DOMINO

D. PHILIPPO VENVTO

PATRICIO CORTONENSI

LIBURNENSIS ECCLESIAE PRAEPOSITO.

EDVARDVS CORSINVS

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM



Ecimus propemodum annus, Cl. atque eruditiſſime VENVTE, nunc agitur ex quo divitem nummorum, aliorumque veterum monimentorum ſupellectilem a Te comparatam inſpiciens ectypam quoque veteris, & incogniti numiſmatis imaginem cerae impreſſam obſervavi, eiuſque commodius explorandae, ac viriculo delineandae copiam impetravi. Quamvis autem initio characteres illi, qui in ectypa hac imagine inverſa ſerie legebantur, rudes omnino, & inconditi apparerent, ipſum quoque Regis nomen prorſus incognitum atque inſolens videretur, praeſertim vero annorum numerus aut epocha, quae in infima nummi parte perſpicue diſtincteque inſculpta fuerat, ab Epochis aliis hactenus cognitis abhorreret, ideoque animum fere deſpondiſſem; deinde

tamen

tamen alacrior, Teque potissimum impellente, audacior factus non modo in eximio, ac singulari nummo MINNISARVM quemdam Armeniae Regem Dioni memoratum inveni, verum etiam novam, atque hactenus incompertam epocham deprehendi, sive potius novum celeberrimae Arsacidarum epochae initium non in anno V. C. 498. aut 504. ut Vaillantius, Pagius, Petavius, ceterique Scriptores omnes existimarunt, sed in anno solum V. C. 525. collocandum demonstravi. Itaque Libellum *de Minnisari*, *aliorumque Armeniae Regum Nummis*, *& Arsacidarum Epocha* Tibi ipsi inscriptum anno 1754. typis edidi; quumque Cl. Erasmus Froelichius S. I. ὁ μακαρίτης dubia quaedam, subtiliter ille quidem, sed modestissime, proposuisset, dubiis eiusmodi dirimendis, atque Epochae a me constitutae accuratius confirmandae Libellum alium anno 1756. vulgavi, in quo plura Parthicae & Armeniacae historiae capita sic opportune illustravi, ut splendor aliquis in implexos etiam atque obscuros rerum illarum Scriptores, nisi mea me fallit opinio, redundaret. Quandoquidem vero utrique ex Libellis istis ab aequis bonisque Lectoribus aliquo in pretio & honore haberi contigit, & haec opinio vel Arsacidarum Epocha a me constituta pulcherrimo *Monnesis* nummo, quem nuperrime Cl. Swintonus Londini edidit, confirmatur, praesertim vero nonnulla ad argumentum illud spectantia subinde mihi affulsere, quidquid a me, & a Cl. Froelichio iam editum fuit, nova uberiorique editione una coniunctum proferetur.

II. Eiusmodi vero sors, atque insperata prorsus Minnisari detegendi, novaeque Arsacidarum Epochae definiendae occasio, quae mihi pridem a Te proposita, ac perhumaniter oblata fuit, animo obversari tunc caepit ubi nuperrime nummos, quos eximio prorsus amore, atque humanitate in me tua mihi largiri voluisti, contre-

tractare, paulloque accuratius dispicere licuit. Siquidem inter Aegyptios Aureliani Augusti nummos eos potissimum observavi, qui tum Aureliani, tum Vaballathi nomen ac vultum praeseferunt, atque utriusque Principis epocha decorantur. Quum vero in aliquibus Vaballathi nummis *quintus* ipsius annus cum Aureliani *secundo*, in aliis autem cum *tertio* coniungatur, ideoque partim cum *secundo*, partim cum *tertio* concurrat, statim ambigere, & explorare ego caepi undenam in Aegyptiis his nummis inter annorum; qui Aureliano, & Vaballatho adscribuntur initia varietas illa oriretur; quum certe in Aegyptiis omnibus tum Caesarum, tum veterum Regum nummis annorum initium non aliunde, quam a civilis Aegyptii anni cardine, hoc est post Augusti tempora a 29. Augusti Iuliani die duceretur. Itaque, ut hic nodus meliori quo poterat ordine dirimeretur, verum tum Aureliani, tum Vaballathi initium rite statuendum esse conspexi; quumque a pluribus Aureliani imperium a Ianuario mense anni 270. incaepisse dicatur, ab aliis autem ipsius initium in proximo Novembri mense collocetur, universam hanc temporum seriem accuratius explorandam esse putavi, eaque ratione statuendam, quae magis historiae, simulque nummis, ac Marmoribus responderet. Vtrumque sane tentare, & quidquid ad Aureliani nummos, imperium, ac historiam attinet hac Epistola, sive Dissertatione complecti libuit, quam Tibi veluti perenne observantiae, gratique animi monumentum, optimo quocumque iure consecravi. An vero feliciter, & ex voto mihi res cesserit, facile profecto, VENUTE doctissime, Tu omnium maxime perspicere, ac indicare poteris, quippe qui maximo ingenii acumine, eximia prorsus veterum nummorum scientia, Historiae & eruditae Antiquitatis cognitione excellas, ideoque illustrem doctrinae gloriam apud exteras etiam Gentes sis merito consequutus.

III.

III. Ceterum, ut in ipso veluti limine controversiae statum, simulque ambages, quae in explicandis Aureliani ac Vaballathi nummis occurrunt, exponam observari plurimum velim quod quum Vaballathi simulque Aureliani Caesaris anni in ipsorum nummis una coniunguntur, Vaballathi initium ac imperii tempus definiri certe non poterit, nisi prius Aureliani initium rite, accurateque constitutum fuerit. Quis vero id nitide accurateque praestare se posse confidat, quum tanta in antiquis Historicis opinionum varietas, tanta in recentioribus etiam dissensio, tanta denique in illustrioribus etiam Marmorum, ac Nummorum Interpretibus perplexitas reperiatur? Etenim, si Graecos, ac Latinos etiam Historiae Augustae Scriptores consulamus, vix *quinque* imperii annos invenies, qui Aureliano concedi possint; ideoque universa rerum ab ipso gestarum series quatuor annorum, totidemque mensium spatio comprehendenda videbitur. Sin vero Marmora ac Nummos inspexeris non modo *sextus*, sed *septimus* etiam imperii annus Aureliano concedendus erit; ideoque universa tum Aureliani, tum Vaballathi, tum coaevorum Principum historia, quae ab Aureliani imperio pendere debet, in tanto veterum ac illustrium monimentorum dissidio fluctuare censebitur. Atque, ut a Nummis ipsis exordiar, in Medicea Gaza Aureliani nummus occurrit, in quo reperitur P. M. TR. P. VI. COS. II. (1), in alio apud Begerum (2) P. M. TR. P. VII. COS. II. itidemque in alio apud Occonem (3) P. M. TR. P. VII. COS. III. Ita quoque in tribus Aegyptiis Aureliani nummis habetur (4) L. ς *anno sexto*, idemque *sextus* imperii annus in tribus Severinae eius coniugis nummis

(1) Bandur. p. 366.
(2) Thes. Brand. pag. 759. Band. loc. cit.
(3) Band. p. 387. Mus. Theup. p. 1191.
(4) Band. p. 383.

mis notatur L. ς. (1), ac in duobus aliis eiuſdem Auguſtae nummis L. Z *annus ſeptimus* exaratur (2). Quod vero ad Marmora, vel Inſcriptiones attinet, in Grutero (3) quidem legitur TR. P. V. COS. III., ſed apud Gudium (4) TR. P. VI. COS. IV. Itaque ex his perſpicuis, certiſque monimentis apparet Aurelianum, eiuſque coniugem Severinam non modo *ſextum* imperii annum inchoaſſe, verum etiam peracto iam *ſexto* etiam *ſeptimum* attigiſſe; quemadmodum ſane in Alexandrino Chronico *ſeptem* imperii annos Aureliano tributos eſſe conſpicimus.

IV. Sin vero ceteros Scriptores omnes conſulamus, eoſque in primis, qui Caeſarum Vitas, & temporum illorum hiſtoriam deſcripſerunt, perſpicuum profecto fiet quod nullus omnino ex illis *ſex* integros imperii annos Aureliano concedit; ſed a pleriſque ipſius imperium *quatuor* ſolum annorum, totidemque menſium ſpatio circumſcribitur. Certe Vopiſcus nitide diſerteque dicit quod Aurelianus *imperavit annis ſex minus paucis diebus* (5), ipſique inhaerens Zonaras (6) ait Aurelianum obiiſſe ἓξ ἐνιαυτὸς ἠνυκότα παρὰ τῇ βασιλείᾳ μηνῶν ὀλίγων ἐνδέοντας *cum ſex annis imperium tenuiſſet demptis paucis menſibus*, ubi fortaſſe pro μηνῶν reſcribi facile poterit ἡμέρων ut Zonaras ipſe cum Vopiſco conveniat. Euſebius, qui in Hiſtoria (7) *ſex* imperii annos ipſi adſcribit, in Chronico annos *quinque* cum dimidio concedit, idemque prorſus temporis ſpatium ab Eutropio (8),

E ac

(1) Band. p. 303. Theup. p. 1192.
(2) Band. & Theup. loc. cit.
(3) Pag. 76. num. 4. & 5.
(4) Pag. 23. n. 4.
(5) In Aurel. pag. 221.
(6) Annal. Lib. XII. num. 27.
(7) Hiſt. Eccl. Lib. VII. c. 28.
(8) Lib. IX. c. 15.

ac utroque Victore (1) ipsi tribuitur: ideoque, licet Scriptores illi facile componi possint, nunquam tamen aut *sextus* absolutus, aut *septimus* inchoatus imperii annus ex illorum calculo Aureliano concedi poterit. Quid vero quod ipsius imperium, si a Claudii morte, ut fieri profecto solet, ad Aureliani mortem computetur, ne quidem ad *quinque* integros annos extendi potest? Constat nimirum quod quum Gallienus Imperator exeunte Martio mense anno Christi 268. prope Mediolanum interemptus statimque Claudius a militibus electus esset, Gallieni caedes & Claudii electio *IX. Kalendas Aprilis* (2) Romae nunciata fuit, & epistola mox allata, qua *Claudius Princeps S. P. Q. R.* imperium a se susceptum, partasque victorias nunciabat. Quamvis autem Syncellus, & Eutychius Claudium ipsum uno anno regnasse dixerint, Eusebius, & Nicephorus annum unum mensesque novem ipsi concesserint, ideoque Zonaras (3) dicat ab aliis quidem annum, ab aliis autem, ut Eusebio, duos imperii annos adscribi, Eutropius illum *intra biennium*, nimirum biennio nondum peracto, decessisse velit, Eusebius tamen in Historia (4) duos completos imperii annos, Chronicon Alexandrinum, & Aurelius Victor (5) duos imperii annos enumeret, ac Porphyrius (6) asserat Plotinum δευτέρυ ἔτυς πληρομένυ *secundo anno* Claudii *impleto* periisse, dubitari certe non poterit quin Claudius ipse *tres* omnino annos incaeperit, ideoque Calvisii ac Petavii sententia deferenda sit, qui Claudii mortem, & Aureliani initium in anno 269. collocarunt. Siquidem Trebellius asserit quod Claudio ora-

(1) Epit. c. 49.
(2) Trebel. in Clau. p. 203.
(3) Annal. Lib. XI. n. 26.
(4) Lib. VII. c. 27.
(5) Num. 48.
(6) Vit. Plotin.

oraculum in Apennino, five ut Salmafius opinatur in Aponino de imperii fui diuturnitate percontanti refponfum fuit

Tertia cum Latio regnantem viderit aeftas

ideoque indicatum quod *tertium* annum, tertiamve aeftatem incaepturus erat. Accedit etiam quod in veteribus Lapidibus apud Gruterum (1) & Muratorium (2) Claudius TR. P. III. COS. II. notatur, atque in Aegyptiis eiufdem nummis legitur (3) L. Γ. *anno tertio*, atque in ipforum altero reperitur L. Δ. *anno quarto*. Denique, ut Cl. Norifius (4) omnium primus obfervavit, Claudii lex in Codice (5) reperitur, in qua Claudius ipfe refcribit *Epagatho VII. Kal. Novembris Antiochiano, & Orphito Coff.* quae perfpicue certoque nobis oftendit Claudium ipfum ad 26. Octobris diem anni 270. quo Confules illi Faftos fignarunt, perveniffe; ideoque, quum circa 20. Martii diem anni 268. imperium fufceperit, ipfi anni 2. ac menfes 8. adfcribi debent. Quod fi Aurelianus defuncto iam Claudio, ideoque poft Octobrem menfem anni 270. imperium, ac ineunte anno 271. Confulatum fufcepit, *quatuor* folum annis totidemque menfibus imperaffe ille potuit, quum ipfius mors in Idacii Faftis *Aureliano, & Marcellino Coff.* nimirum anno 275. adfcribatur, & Vopifco (6) tefte epiftola, qua Aureliani mors nunciabatur, *III. Nonas Februarii* Romam delata, atque in Senatu lecta fuerit; peractoque demum *fex* menfium interregno in Aureliani defuncti locum *VII. Kal. Octobris* Tacitus Impera-

E 2

(1) Pag. 276. n. 2.
(2) Pag. 255. n. 2.
(3) Band. pag. 237. 353.
(4) De Votis Decen. c. 6.
(5) Leg. 2. C. de diver. Refcrip. Lib. I. tit. 23.
(6) In Aurel. p. 222.

perator electus fuerit (1), proximeque anno 276. Consul processerit. Itaque si neque Aureliani Caesaris initium anticipari, neque ipsius mors differri unquam possit, ideoque vix illi anni *quatuor* totidemque menses concedi debeant, qui fieri unquam poterit ut in Marmoribus, atque in nummis etiam tum Aureliano, tum Severinae eius coniugi non modo *sextus*, sed *septimus* etiam imperii, aut *Tribuniciae Potestatis* annus tribuatur?

V. Certe gravissimam hanc difficultatem mireque implexam historiae ambagem acutissimi doctissimique Viri Norisius, Pagius, Tillemontius, Bandurius observarunt; ac ipsorum quidem aliqui se huic nodo solvendo impares esse ingenue modesteque dixerunt, alii vero nodum ipsum, quem solvere certe non poterant, liberius secarunt. Etenim Pagius, quum Norisium sequutus Claudii mortem post 26. Octobris diem collocandam esse censeret, Aureliano quatuor imperii annos sexque insuper menses concedit. Quamvis enim Vopiscus afferat ipsius mortem *III. Nonas Februarias* nunciatam fuisse, ibi tamen *III. Nonas Aprilis* rescribendum esse contendit, ideoque Aureliani mortem circa 20. Martii diem contigisse arbitratur. Siquidem Vopiscus ipse semel iterumque testatur (2) post Aureliani mortem sex mensibus interregnum fuisse, iidemque circiter sex interregni menses ab Aur. Victore (3) exprimitur cum Victor (4) alius septem mensibus interregnum fuisse dixerit, ideoque cum Tacitus ex Vopisco (5) *VII. Kal. Octobres* in Senatu electus fuerit, Aureliani mors, atque interregni initium circa 20. Martii diem contigisse debuit: alioquin, si Aurelianus Ianuario mense obiisset, eiusque mors *III. Nonas*

(1) In Tacito p. 217.
(2) In Aurel. c. 40. & in Tac. c. 1.
(3) De Caesar. c. 36.
(4) Epit. c. 50.
(5) In Tac. c. 7.

Nonas Febr. nunciata fuisset, *octo* saltem mensibus interregnum fuisset. Itaque concludit Pagius in Vopisco *III. Nonas Apriles* legendum esse; quemadmodum prorsus in alio Vopisci loco ubi S. C. de eligendo Probo factum fuisse dicit *III. Nonas Febr*. ex omnium consensu rescribi debet *III. Nonas Apriles*, cum Tacitus ex Vopisco sex mensibus, & ex utroque Victore (1) 200. diebus imperaverit; ideoque, si ipsius mors circa Aprilis initium Tianae in Ciliciae, & Cappadociae finibus contigisse debuit, *III. Nonas Febr*. Romae cognosci non potuit.

VI. Quo tamen loco, ut id obiter moneam, Vir Cl. perspicue certoque fallitur vel sibi non constat. Etenim si Tacitus ineunte Aprili Tianae obiit, & audita ipsius morte Probus a militibus in Oriente electus fuit, qui fieri unquam potuit ut Taciti mors, & electio Probi Romam nunciata, & *III. Nonas Apriles* electio ipsa S. C. confirmata fuerit? Quod si Pagius reponat (2) Taciti initium a die 14. Iulii repetendum esse quum rumor de ipso eligendo Romae increbuit, ac ipse imperium detrectans in Campaniam secessit, unde post menses duos Romam reversus 25. Septembris die Senatui interfuit (3), observari facile poterit quod rumor ille *electio* vocari non potest, quum Vopiscus ipse mox dicat quod Tacitus *tanquam vere privatus* Senatui interfuit, quumque sententiam de eligendo Imperatore foret dicturus, repente a Senatu Imperator electus ipse fuit. Deinde vero si Tacitus circa 14. Iulii diem electus dicatur, quae demum ratio supererit ut Aureliani defuncti nuncium a *III. Nonas Febr*. ad *III. Nonas Apriles* differatur, ut sex solum interregni menses habeantur, quum idem ille sex mensium numerus a *III.*

Nonas

(1) De Caesar. c. 36. & in Epit. c. 51.
(2) Dissert. Hyp. p. 234.
(3) Vopisc. c. 7.

Nonas Febr. ad 14. Iulij diem supputetur? Itaque Pagio concesserim Vopisci quidem locum corrigendum esse, sed ita tamen ut in illo non *III. Nonas Apriles* sed *III. Nonas Maias* rescribatur, ideoque a Taciti morte, ad S. C. quo Probus in Oriente iam electus Romae confirmatus fuit, integri saltem mensis spatium reperiatur. Sed, ut a Tacito, Proboque ad Aurelianum nostrum revertar, cum Pagius Aureliani initium simulque finem perspicuis adeo certisque characteribus definitum esse conspiceret, asserit (1) Occonis nummum, in quo legitur TR. P. VII. COS. III. monetarii errore vitiatum esse, eundemque prorsus errorem in Begeri nummum irrepsisse dicit, in quo habetur TR. P. VII. COS. II. subditque quod *haec aversa pars ex nummo Gordiani iunioris, in quo septima Tribunicia Potestas cum Consulatu secundo iungitur, Monetarii errore mutuata convincitur*, quum praesertim in superiori Aureliani nummo *Trib. Pot. VII.* cum *Consulatu II.* coniungatur, ideoque nummus unus alteri adversetur. Denique, quum haec ipsa perplexitas, vel difficultas in pluribus etiam nummis aliis occurrat, in quibus anni Trib. Pot. expressi annos imperii superant, Pagius ipse contendit in nummis illis errorem in exprimendis Trib. Pot. annis irrepsisse, vel *existimandum annos illos Trib. Pot. non ad Imperium, sed ad aliquod aliud nobis incognitum referri* (2).

VII. Tillemontius vero, quo nemo sane subtilius & accuratius haec Historicorum dissidia exploravit, easque ambages admirabili quadam solertia, & felicitate diremit, Pagii calculo, & argumentis inhaerens Claudii initium a 20. circiter Martii die anni 268. divelli non posse concedit. In eo quoque Pagio assentitur quod Aureliani mors a Ianuario mense anni 275. ad Martium sequentem trans-

(1) Critic. ad an. 275.
(2) Crit. ad an. 103. num. 5. & 6.

transferri debeat atque in Vopiſco pro *III. Nonas Febr.* legi *III. Nonas Apriles*; idque eximia quoque coniectura confirmat quod nimirum nunciata Aureliani morte, quae prope Byzantium contigerat, verba in Senatu ab *Aureliano Gordiano Conſule* facta dicantur, qui certe non *ordinarius*, *ſed ſuffectus* Conſul erat, ideoque ante *Kal. Martias* ſuffectum hunc conſulatum inire non potuit, cum iis temporibus Conſules bimeſtres eſſent, primoque bimeſtri Aurelianus ipſe & Marcellinus Conſules proceſſiſſent. Quum tamen Tillemontius ipſe intelligeret quod additis etiam Aureliani imperio duobus his menſibus, ille tamen annos quatuor menſeſque ſex ſuperare non potuit, opinatur in Vopiſci textu legendum eſſe *imperavit annis quinque minus paucis diebus*. Addit etiam a Vopiſco ipſo ceteriſque Scriptoribus imperii annos ita numerari potuiſſe, ut utrimque imperfecti illi forent, ac uterque extremus paucos ſolum menſes complecteretur, ubi praeſertim ſex interregni menſes Aureliani mortem conſequuti Aureliani imperio adiecti fuerint. Denique Tillemontius in nummis TR. P. V. pro TR. P. VII. legendum eſſe arbitratur, atque in Aegyptiis nummis, quibus character ϛ inſcriptus conſpicitur, characterem alium maxime ſimilem Γ ſubſtitui poſſe: quemadmodum ſane characteres illos temere aliquando confuſos fuiſſe exemplis aliis erudimur. (1) In definienda tamen Claudii morte, ſimulque Aureliani initio Tillemontius (2) a Noriſio, & Pagio plurimum diſſidet; quumque illi Claudii mortem poſt 26. Octobris diem collocaverint, Tillemontius aſſerit ipſam in Aprili menſe anni 270. contigiſſe, quo Claudius parta de Gothis victoria iam *tertium* imperii annum inceperat. Etenim, inquit ille, ſi Aurelianus Novembri ſolum menſe anni 270. imperium ſuſcepiſſet, vix ac ne vix quidem neceſſarium tempus ſuppeteret, quo plurima ab illo geſta memoran-

(1) Vid. Noriſ. Epiſt. Conſ. p. 88.
(2) In Aurel. Art. 2.

morantur antequam ipsius iussu Sibyllarum Libri Vopisco (1) teste *III. Idus Ianuar.* consulerentur quae certe Librorum inspectio quum non anno 272. ut Pagio videbatur, sed anno 271. facta fuerit, manifestissime apparet quod Aureliani initium longe ante Novembrem mensem anni 270. collocari debet, ut integrum fere anni spatium consiliis, bellis, victoriis, expeditionibus ineunte imperio susceptis necessarium habeatur.

VIII. Ita propemodum Bandurius in Aureliani nummis, quibus Tribunicia Potestas VI. vel VII. inscribitur, non a Monetariis, sed ab exscriptoribus erratum esse putavit (2); quumque in ipsorum altero *TR. P. III.* exaratum esset, temere exscriptum fuisse dicit *TR. P. VI.* in aliis vero quum haberetur *TR. P. IIII.* imprudens scriptor expresserit *TR. P. VII.* Alibi (3) vero observavit sex interregni menses qui inter Aureliani mortem, Tacitique initium fluxerunt, fortasse a Vopisco computatos, & Aureliani imperio adiectos fuisse; ut proinde nonnulli *sextum huius Principis annum his in nummis tueri se posse confidant: hos enim nummos cusos fuisse aiunt mense Septembri anni 275. cum de suffecto in Aureliani locum Tacito nuncius nondum in Aegyptum allatus esset; quo sane tempore instasset sextus, si adhuc in vivis fuisset, Aureliani annus. Sed de his, ac de aliis huiuscemodi Eruditiorum iudicia libenter expectamus.* Denique, quod ad Severinae nummos attinet, in quibus *septimus* imperii annus notatur, Bandurius existimavit Severinae nummos etiam post Aureliani coniugis mortem cusos fuisse; ideoque dicit *Severinam Aureliano superstitem fuisse fidem faciunt nummi Aegyptiaci in quibus septimus eius annus signatus legitur.* (4)

IX.

(1) In Aurel. c. 19.
(2) Pag. 366.
(3) Pag. 387.
(4) Pag. 390.

IX. Quicumque sane diffidentes adeo doctissimorum hominum sententias inspexerit facile intelliget quod ipsorum quilibet in Marmoribus, ac Nummis etiam erratum esse contendit; ac solos Severinae nummos intelligi vel explicari posse Bandurius existimat quod illa marito superstes fuerit, suoque nomine nummos signaverit. Ac certe quidem haec ipsa opinio in explicandis Anniae Faustinae nummis a Philippo a Turre (1) Adriensi Episcopo usurpata fuerat; sed ipsa tamen a Valsechio (2) perspicuis adeo certisque rationibus impugnata fuit, ut iterum refelli non debeat; quum praesertim, si de Aegyptiis Severinae nummis loquamur, ii facillime commodiori veraque ratione explicari possint, ut inferius ostendetur. Ceterum, si de nummis aliis, & marmoribus differamus, etsi facile libenterque concedi debeat quod aliquando in ipsis vitia quaedam, & errores tum artificum, tum exscriptorum incuria irrepsere, vix tamen ac ne vix quidem extorqueri a me poterit ut unum eumdemque gravissimum errorem in decem partim latinos, partim graecos eiusdem Caesaris & Augustae nummos irrepsisse concedam. Quis enim fieri potuisse arbitretur, ut artifices omnes variis in locis, variisque temporibus in eundem prorsus errorem impegerint, aut Occo, Begerus, aliique plures peritissimi nummorum interpretes in exscribendis nummis illis inita fere societate aberraverint? Itaque, ut suus antiquitati, artificibus, ac eruditis peritisque viris honor servetur, tentandum potius putaverim an aliqua nummorum eiusmodi explicandorum ratio affulgere vel proponi unquam possit: quum praesertim pluribus exemplis aliis appareat quod nummi quidam, quibus initio mira perplexitas aut manifesta vitia subesse videbantur, insperata quadam lu-

F ce

(1) Pag. 390.
(2) De Trib. Pot. V. Elag. Vid. Diar. Lit. Ital. Tom. VII.

ce perfundi caeperunt, ideoque tandem rite, feliciterque exponi potuerunt. Non is profecto ego sum, qui in explicandis Aureliani nummis parem omnino felicitatem sperari a me posse confidam; nonnulla tamen, nisi perspicua ratione, quod sperari certe non poterit, sed verisimilis saltem coniecturae genere proferre nunc libet, quae si fortasse bonis, & aequis iudicibus probari unquam possint, tum perplexae & obscurae Aureliani historiae, tum perplexis aliis, obscurisque Imperatorum aliorum nummis splendorem afferre posse videantur.

X. Itaque quum Aureliani imperium, eiusque tempus ab illius initio simulque morte pendere debeat, in definienda quidem ipsius morte facile Norisio, Pagio, ac Tillemontio ego assentiar; si tamen Aureliani mors non ineunti Ianuario mensi cum Vopisco, neque ineunti Martio cum Pagio, ac Tillemontio, sed exeunti fere Aprili tribuatur. Sic enim *sex* circiter mensium interregnum Taciti electionem 25. Septembris die factam praecessisset, & Aureliani mors in Thracia patrata exeunte Maio Romae resciri potuisset. Sed quod ad ipsius initium attinet, quod Norisius, ac Pagius in Novembri mense, Tillemontius autem in superiori Aprili collocandum esse putavit, ego potius exeunti Iulio, vel ineunti Augusto tribuendum esse coniicio; quum haec hypothesis novaque sententia clarioribus, certioribusque testimoniis innitatur, a dubiis omnibus, quae alterutra ex parte, nimirum a Pagio & Tillemontio, proferuntur, facile vindicetur, ac denique plura, & omnia fere commode exponat, quae in sententiis aliis mire implexa, atque propemodum insolubilia censentur.

XI. Atque, ut a primo exordiar, illud omnino certum, atque exploratum esse putaverim quod Claudius nonnisi peracta iam, vel saltem adulta aestate interiit, ut prorsus immerito ipsius mors, & Aureliani initium Aprili mensi a Tillemontio adscribatur. Etenim, ut supe-

perius ostendi, Trebellius asserit quod Claudiò oraculum in Aponino de imperii sui diuturnitate percontanti responsum fuit

Tertia eum Latio regnantem viderit aestas

ideoque perspicue indicatum quod ille imperio potitus *tertiam* aestatem visurus tertiumve annum incaepturus erat; quemadmodum, quum de Quintillo fratre interrogasset, *quem consortem imperii habere* cupiebat, responsum fuit.

Ostendunt terris hunc tantum fata

quumque postremo de posteris suis sciscitatus esset, oraculum ait

His ego nec rerum metas, nec tempora pono.

Optime quidem intelligo libensque concesserim oraculum, ac responsum illud post Claudii mortem in Constantii Chlori gratiam, qui ex Claudii nepte, nimirum ex Crispi fratris filia, natus erat, ab impostoribus editum, vulgatumque fuisse; observari tamen plurimum velim quod impostores ipsi, simulque Trebellius ethnicus Scriptor, & Constantii assentator oraculum ipsum nunquam memorassent, si vere Claudius ante promissum tempus, tertiamque aestatem periisset, ideoque oraculi falsitas ex contrario eventu innotuisset. Certe Vopiscus (1), quum narrata Taciti, ac Floriani morte vaticinium quoddam ab Aruspicibus editum memorasset, quod ex Caesarum illorum familia post annos mille Imperator alius eligendus erat, vaticinium illud serio graviterque irridet; subditque: *Non magna haec urbanitas Aruspicum fuit, qui Principem talem post mille annos futurum*

(1) In Flori. c. 1.

rum esse dixerant; quia, si post centum annos praedicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia? Cur Trebellius ipse pari prorsus, graviorique iure oraculum Claudio redditum non irrisisset, aut saltem dissimulasset, si tertia quidem aestas Claudio promissa fuisset, ipse tamen hanc tertiam non vidisset? Quemadmodum ergo Trebellius oraculum de brevissimo Quintilli imperio, & de Claudii posteris mox regnaturis memoravit quod utrumque verum esse conspiceret, ideoque Constantii Chlori imperium divinitus praenunciatum esse mox dixit, ita quoque oraculum aliud de Claudio editum memoravit quod ipsum quoque rerum exitu veraque historia confirmatum esse videret, quippe qui in Claudii initio dicat: *Ventum est ad Principem Claudium, qui nobis intuitu Constantii Caesaris qui Claudii nepos fuit, cum cura in litteris digerendus est.* Itaque ut suus oraculo post exitum confido, ideoque historiae Trebellio perspectae honor, & auctoritas constare possit, necessario concedi debet, quod Claudii mors inchoatae iam tertiae aestati, ideoque exeunti Iulio vel Augusto ineunti adscribi debet: sic enim Claudius exeunte Martio anni 268. electus, & exeunte Iulio anni 270. extinctus tres aestates sibi promissas vidisset. Addi etiam poterit quod Trebellio (1) teste *Antiochiano, & Orfito Coss.*, hoc est anno 270. superatis Gothorum reliquis, qui fuga in Haemimontem dilapsi Thraciam vexabant, dira pestis Gothos, Romanos etiam, ac ipsum quoque Claudium invasit, qui Sirmii degens eo pestilentiae morbo interiit. Eiusmodi vero lues facilius aestate, quam hyeme, & autumno saeviisse videtur; ideoque Claudii mors verisimilius aestati, quam appetenti veri cum Tillemontio, aut affectae iam hyemi cum Norisio, & Pagio adscribi debet. Denique Aegyptius Claudii nummus habetur cum L. Δ. *anno quarto* (2), qui ex-

(1) In Claud.
(2) Band. pag. 358.

explicari certe non poterit si Claudii mors Aprili mensi cum Tillemontio adscribatur, quo vix ille *tertium* imperii annum incepisset; optime vero feliciterque explicatur si exeunte Iulio, vel ineunte Augusto ille periit. Siquidem ex veteri constantique Aegyptiorum more inferius explicando *secundus* Claudii annus die 29. Augusti anni 268. *tertius* eadem ipsa Augusti die anni 269. inceperat, ideoque etiam *quartus* a 29. Augusti die anni 270. numerandus erat. Ergo nummus ille, in quo annus *quartus* exprimitur, & circa 29. Augusti diem cusus fuit, eo tempore prodiit, quo nondum Claudii mors in Aegypto nunciata fuit: quod optime riteque intelligitur si Claudius ipse circa Augusti initium Sirmii interiit, nulla vero ratione explicari poterit si mors illa Aprili mensi adscribatur, ideoque ab illa ad futurum *quarti* anni initium quinque mensium spatium intercessisset.

XII. Hoc ipsum Aureliani Caesaris initium circa Augusti mensis Kalendas a me constitutum ex ipsius nummo, quem Pagius ipse explicavit, confirmatur. Quum enim Pagius in illo L. Δ. *annum quartum* observasset, simulque duos captivos conspexisset, asserit hunc nummum Palmyrenis iam subactis, captaque Zenobia cusum fuisse, quod anno 272. contigisse scriptores omnes testantur. Itaque, si *quartus* Aureliani annus Aegyptiorum more die 29. Augusti anni 272. incepit, *secundus* annus eodem ipso more 29. Augusti die anni 270. incepisse debuit: quod fieri sane non poterat si ex Norisii, Pagiique calculo Aurelianus post 26. Octobris diem imperium suscepisset. Ergo tum gravissima nummi huius sic a Pagio explicati auctoritas, tum perspicuum certumque Trebellii testimonium ostendit quod Claudii mors, & Aureliani initium circa Augusti Kalendas contigisse debuit, ideoque haec opinio a me proposita clarioribus, certioribusque monumentis innititur; quemadmodum sane a rationibus tum a Norisio, & Pagio, tum a Tillemontio propositis

fa-

facile vindicatur. Quod enim Tillemontius ait plura Aureliani gesta ab Historicis memorari, quam quae brevissimo temporis spatio, nimirum a Novembri mense ad Idus Ianuarias comprehendi possint, optime quidem ostendit quod Aureliani initium Novembri mensi cum Norisio, & Pagio adscribi non potest, novumque mihi refellendae ipsorum sententiae praesidium praebet; non tamen efficit ut initium illud ad superiorem Aprilem mensem retrudi debeat; cum a Kal. Sextilibus, quibus, ut arbitror, Aurelianus imperium suscepit, ad Idus Ianuarias, quibus Sibyllarum Libri consulti sunt, commodum atque opportunum temporis spatium supersit, quo res ab Aureliano tunc gestae distribui possint.

XIII. Sed qua ratione, & effugio gravissimum aliud argumentum, cui Norisius, & Pagius innititur, elevari, vel refelli unquam poterit, quod nimirum in Codice Lex a Claudio *VII. Kal. Novem. Antiochiano*, *& Orfito Coss.* hoc est anno 270. edita reperiatur, ideoque perspicue certoque nobis ostendit quod Claudius 26. Octobris die adhuc superstes erat, nondumque Aurelianus imperium susceperat? Si maximum eius argumenti robur eludere, vel declinare ego velim, iisdem ipsis Norisio, ac Pagio ducibus respondere possem quod in eiusmodi lege aut in *Imperatoris*, aut in *Consulum*, aut in *mensis* nomine peccatum fuit; quum error ille in plurimas etiam Leges alias irrepserit, ut Norisius ipse, ac Pagius observarunt. Quis enim ignoret quod *L.* 3. *de his*, *qui accusare non possunt* edita dicitur ab Alexandro Severo 3. *Nonas Febr.* & *L.* 7. *de evictionibus* data legitur 8. *Idus Martii*, cum tamen Alexander ipse nondum imperium suscepisset? Lex 2. C. de *Curatore furiosi* edita dicitur a Gordiano *Kal. Ianuar. Pio & Pontiano Coss.* anno nimirum 238. quo tamen imperium nondum a Gordiano susceptum fuerat. Haec aliaque id genus exempla plurima, quae subinde occurrunt, atque a Norisio,

Pa-

Pagio, Gothofredo, aliisque pluribus proferuntur, argumento esse possunt quod in memorata Claudii lege vel Augusti, vel Consulum, vel mensis nomen ita refingi debet ut illa ante Kal. Augusti edi potuerit. Mihi tamen haec omnia subtilius exploranti longe facilius, ac verisimilius videtur hunc nodum alia clariorique ratione solvi posse, quae in obscurioribus Marmoribus, ac legibus aliis explicandis lucem afferre, novoque, ut opinor, praesidio esse possit.

XIV. Itaque existimo nihil prorsus in laudata Lege vel corrigendum, vel mutandum esse, sed Consules illos *Antiochianum*, *& Orfitum*, qui ipsi adscribuntur, non anno 270. veluti *ordinarios*, sed anno 269. sive potius 268. veluti *suffectos* tribuendos esse; ut proinde Lex illa non anno 270., ut Norisius, ac Pagius existimarunt, sed anno 269. vel 268. Antiochiano & Orfito non *ordinariis* sed *suffectis* Consulibus edita sit. Quamvis enim in Romanis Legibus non alii plerumque, quam *ordinarii* Consules memorentur, aliquando tamen etiam *suffecti* in Legibus ipsis occurrunt. Sic, ut e pluribus exemplum unum mox explicandum hic proferam, anno Chr. 193. quo ordinarii Consules in Fastis occurrunt *Q. Sosius Falco*, & *Q. Iulius Erucius Clarus*, Kalendis Iulii suffecti sunt *Aelius*, & *Probus*, eorumque nomina in tribus Legibus memorantur (1): suffectus etiam eodem anno fuit *Claudius*, & *Fabius Cilo*, eiusque nomine tres Leges aliae signatae conspiciuntur. Quid ergo prohibet ne Consules illi. *Antiochianus & Orfitus*, qui Claudii Legi subscribuntur, anno 269. vel 268. a *Kal. Septem.* ad *Kal. Novembr.* suffectum Consulatum gesserint? Certe Antiochianus ille, qui anno 270. *ordinarius* Consul in Fastis occurrit, Consulatum alium, nimirum *suffectum* gesserat; in Florentinis Fastis tum maioribus, tum minoribus anno 270. *Cos. II.* vocatur, & in

(1) Relan. Fast. Cons. pag.

& in Muratorii marmore legitur (1) DEDICATA ID. IAN ANTIOCHIANO II ET ORFITO COSS. quamvis in Fastis aliis, ut fieri plerumque solet, *suffecti* Consulatus huius ratio non habeatur, ideoque iterati Consulatus nota dissimuletur. Ergo iam constat quod Antiochianus ille ante annum 270. consulatum *suffectum* iam gesserat. Quemadmodum ergo Fabius Cilo, qui anno 193. *suffectus* erat, anno 204. *ordinarius* Consul processit, ita Antiochianus, qui facile alterutro ex superioribus annis 268. vel 269. *suffectus* fuerat, anno 270. velut *ordinarius* Fastos signavit.

XV. Quod si fortasse cui novum, aut mirum videatur quod Antiochianus ipse unum prorsum, eundemque Collegam tum in suffecto, tum in ordinario quoque Consulatu habuerit, quis certe nobis ostendat quod unus idemque sit *Orfitus* ille, qui tum in Claudii Lege, tum in Fastis memoratur; non vero potius Orfitus ille, qui Antiochiano in consulatu suffecto collega fuit, ab altero distingui debeat, cum quo postea ordinarius Consul processit, quum tot Orfiti in Scriptoribus, ac Marmoribus etiam iis temporibus memorentur? Certe, ut cognomines alios dissimulem, & illorum temporum Consules hic memorem, *Sergius Scipio Orfitus* anno 149. *M. Gavius Orfitus* anno 165. *Orfitus* anno 172. *Gavius Orfitus* anno 178. Consul fuit, nec temere profecto, ut opinor, ita confundi illi debent ut unus solum idemque civis hic expressus dicatur. Ita *Paterni* ordinarii Consulis nomen in Fastis anno 267. 268. 269. 279. occurrit, neque sane quis arbitrabitur unum eundemque virum hic exprimi; quum praesertim solis Augustis hic honor haberetur ut duobus proximis annis Consules esse possent. Itaque mira perplexitas, quae ex solo Consulis alicuius nomine oriretur ut unus idemque censeatur ille, qui vere distinctus erat, vel unus ab altero distin-

(1) Pag. 366. n. 2.

ſtinguatur, cum quo vere confundi ille debet, non alia ratione diſſolvi poterit, quam ſi integra Conſulum ipſorum nomina in monumentis aliis expreſſa feliciter inveniantur. Ita quum alicubi in Marmore (1) occurrat *Q. Soſio*, *&* *Erucio Coſſ.* atque in alio (2) dicatur *Falcone*, *&* *Claro Coſſ.* quis facile ſuſpicari non poterat in Marmoribus illis duo diſtincta Conſulum paria nominari, niſi integrum utriuſque Conſulis nomen alibi (3) exprimeretur *Q. Soſius Falco*, & *C. Iulius Erucius Clarus*, ideoque deprehenderetur unum prorſus, idemque Conſulum par utrobique memorari? Ita viciſſim fieri aliquando potuit ut in duobus monumentis eadem prorſus duo Conſulum nomina occurrant, ideoque utrobique idem prorſus Conſulum par, idemque civilis annus deſignari credatur, quum tamen duo Conſulum paria, & duplex civilis annus intelligi debeat. Sic, ut ex iiſdem ipſis Romanis Legibus illuſtre exemplum hic proferam, *L. 5. C. de tranſactionibus*, & *L. 4. C. ſi reus, vel accuſ. mort. fuer.*, aliaeque Leges Severi Alexandri nomen praeſeferunt, editaeque dicuntur *Albino*, *&* *Aemiliano Coſſ.* eaeque Leges ad annum 206. referri poſſent, quo in Faſtis, ac in Legibus aliis habetur *Albino*, *&* *Aemiliano Coſſ.* niſi aliunde perſpectum foret quod anno quidem 206. *Numius Albinus*, *&* *Fulvius Aemilianus*, anno vero 227. *L. Albinus*, & *Maximus Aemilius Aemilianus* Conſules fuerunt.

XVI. Hoc ipſum ex illuſtri Marmore, vel exemplo deprehendi poterit, quod immortali Scaligero facile impoſuit. Siquidem quum ipſe hoc Marmor (4) *Albae Iuliae* poſitum retuliſſet

G I. O.

(1) Grut. p. 280. n. 1.
(2) Pag. 6. n. 6.
(3) Murat. p. 345. n. 2.
(4) Grut. p. 6. n. 6.

I. O. M. ET
IVNONI REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AVR. AN
TONINI. PII. AVG. ET
IVLIAE. AVG. MATRIS. AVG.
M. VLPIVS. MVCIANVS
M. LEG. XIII GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLVM
A. SOLO. DE. SVO. EX. VOTO
FECIT
FALCONE. ET. CLARO. COSS

Scaliger adnotavit: *Quae est haec Iulia, quis ille Imperator M. Aurelius Pius illis Consulibus? Neque enim de Bassiano Caracalla intelligendum, qui quatuor annorum tantum tunc erat. Item a dedicatione huius Arae ad eius imperium sunt anni* 18. *Haec nos proposuimus Chronologis eruditis, & Antiquitatis investigatoribus, ut quaerant, & nos doceant quae nescire ingenue profitemur* (1). Perplexus hic nodus, cui solvendo se imparem esse magnus Scaliger existimavit, alia sane ratione solvi non poterit, quam si dicatur Caracallae aetate Consules duos *Falconem*, & *Clarum* ordinariis eius anni Consulibus suffectos fuisse, qui a duobus aliis Falcone, & Claro ordinariis anni 193. Consulibus distingui debent sive quod distincti viri illi fuerint, sive certe quod anno 193. *ordinarii*, anno vero circiter 220. *suffecti* illi fuerint. Pulcherrimum hoc exemplum sententiam de *Antiochiano*, & *Orfito* non *ordinariis*, sed *suffectis* solum Consulibus a me propositam mire confirmat, si Claudii Lex una cum Scaligeri Marmore conferatur. Quemadmodum enim Falco, & Clarus in Marmore expressi ad annum 193. revocari non possunt, quamvis in Fastis eodem anno idem prorsus utriusque Consulis nomen occur-

(1) Ad Euseb. n. 2232.

occurrat; ſed Conſules illi, qui Faſtos ſignarunt, *ordinarii*, qui vero Marmori inſcribuntur, alterius anni *ſuffecti* fuerant, ita quoque Conſules illi, qui in Lege notantur, ad annum 270. revocari non debent, quamvis in Faſtis eodem anno unum idemque utriuſque Conſulis nomen habeatur. Si Falco & Clarus Marmori inſcripti a Falcone & Claro Faſtorum diſtingui debeant, eodem ipſo iure Antiochianus, & Orfitus Legi ſubſcripti ab Antiochiano & Orfito qui in Faſtis memorantur, diſtinguentur: quidquid enim explicando Gruteriano Marmori dicatur, de altero quoque pari explicandae Claudii Legi dicetur; ideoque perſpicuo certoque exemplo conſtabit quod ea Lex anno 270. cum Noriſio, & Pagio neceſſario adſcribi non debet; ſed potius alterutri ex praecedentibus annis concedi illa poterit. Quae quum ita ſint iam facile apparet quod nullum prorſus argumentum afferri poterit ut Claudii mors, & Aureliani initium vel ad Aprilem menſem cum Tillemontio referri, vel ad Novembrem cum Noriſio, & Pagio differri debeat; ideoque facile ad Auguſti initium, quod longe veriſimilius eſſe iam dixeram, transferetur.

XVII. Quemadmodum vero haec opinio, vel nova temporum ſeries a me conſtituta a difficultatibus omnibus, quibus illa premi fortaſſe poterat, facile vindicatur, ita viciſſim opinionis huius praeſidio difficultates omnes, quae in ſententiis aliis graviſſimae, ac inſolubiles Noriſio, Pagio, Tillemontio, Bandurio videbantur, perſpicua certaque ratione explicari iam poterunt; nimirum Marmora, ac Nummi, in quibus *ſextus*, & *ſeptimus* etiam imperii, vel Tribuniciae Poteſtatis annus Aureliano conceſſus reperitur. Atque, ut a Nummis exordiar, obſervari plurimum velim quod plerique ex illis tum Aureliani, tum Severinae eius coniugis in Aegypto cuſi ſunt, ideoque in illis *primus* annus non ab ipſa inaugurationis, vel imperii ſuſcepti die, ſed a

 Thot,

Thot, Aegyptii nimirum civilis anni cardine, hoc est a 29. Augusti Romani die, quae proxime inaugurationem ipsam praecesserat, numeratur; ideoque *secundus* imperii, vel Tribuniciae Potestatis annus a proximo *Thot*, qui inaugurationem proxime sequebatur, incipiebat; quamvis a suscepto imperio ad hanc 29. Augusti diem pauci solum dies fluxissent. In hac hypothesi, quae pluribus exemplis, & argumentis aliis ab Eruditis omnibus recepta (1), & contra Valsechium (2) confirmata fuit, perspicue apparet quod quum Aurelianus Kal. Augusti anno 270. electus fuerit, 29. eius mensis die *secundus* ipsius annus in Aegyptiis nummis signari potuit, eodemque more 29. Augusti die anno 274. *sextus* annus incepit; quumque 29 Augusti die anno 275. nullus omnino Imperator electus esset, ideoque facile sex interregni menses Aureliano iam defuncto tributi, eiusque imperio adiecti forent, sequentis Septembris initio ante Taciti electionem nummi cum *septimo* Aureliani, vel Severinae anno signati sunt: quemadmodum prorsus testatur Vopiscus (3) quod hoc ipso interregni tempore nihil omnino in Imperio innovatum fuit, ideoque Magistratus omnes, si Asiae Proconsulem exceperis, in eodem ipso munere perstiterunt. Fieri quoque potuit ut hi nummi Iunio mense nondum cognita Aureliani morte in Aegypto cusi, paratique fuerint, ideoque Aureliano iam defuncto in vulgus prodierint.

XVIII. Quandoquidem tamen haec explicandi ratio, quae in Severinae nummis *septimum* annum praeferentibus a me proponitur, liberior fortasse censeri potest, eiusque praesidio latini Aureliani nummi, quibus *septima* Tribunicia Potestas inscribitur, explicari certe non poterunt, conjecturam aliam proponere nunc libet, qua non graeci

(1) Phil. a Turre c. 3. pag. 27. & Diss. Apol. 11. c. 7. p. 76.
(2) De Trib. Pot. c. 14. p. 157.
(3) In Aurel. p. 221.

graeci solum, sed latini quoque nummi feliciter explicentur, simulque mira haec ambages ac temporum perplexitas dirimatur. Etenim, licet Aureliani mors ultra Aprilem mensem anni 275. differri non possit, eiusque imperii initium, & Claudii mors in anteriora tempora protrudi non debeat, non mediocris tamen spes hic exoritur ut antiquius aliud Aureliani initium constitui possit, quo ipsius imperii tempus integro fere anni spatio ante Claudii mortem numerari, & *Tribuniciae Potestatis* anni in nummis exprimi potuerint. Tenuis hic historiae splendor ex Zonara mihi pridem affulsit, variisque Scriptorum testimoniis augeri ille poterit, ut proinde facile non obscurae ac verisimilis coniecturae loco haberi ille debeat. Siquidem Zonaras, qui ex antiquioribus Scriptoribus omnia derivavit, postquam victorias a Claudio Imperatore ex Gothis partas descripsisset, de Claudio ipso, & Aureliano loquens ait (1): Ἐν δὲ τῷ Σιρμίῳ διατρίβων ἐνόσησε, καὶ συγκαλέσας τὸ λογιμώτερον τοῦ στρατεύματος παρὰ Βασιλέως διειλέχθη αὐτοῖς, καὶ Αὐρηλιανὸν ἄξιον τῆς Βασιλείας εἶπε τυγχάνειν. Εἰσὶ δ' οἱ λέγουσιν ὅτι καὶ αὐτίκα Βασιλέα ἀνεῖπεν αὐτὸν. Ἔνιοι δὲ λέγουσι τὴν Συγκλητον ἐν Ῥώμῃ μαθοῦσαν τοῦ Κλαυδίου θάνατον Κυντιλιανὸν τὸν ἀδελφὸν ἐκείνου διὰ τὸν πρὸς Κλαύδιον πόθον ἀξιῶσαι τῆς βασιλείας, τὸ δὲ στρατιωτικὸν ἀναγορεῦσαι τὸν Αὐρηλιανὸν *Sirmii vero degens aegrotavit & quum primoribus exercitus convocatis de Imperatore creando dissereret, Aurelianum imperio dignum esse dixit. Sunt qui eum statim Imperatorem salutatum esse dicunt. Alii asserunt Senatum Claudii morte audita Quintiliano fratri eius, ob ipsius desiderium, detulisse imperium; exercitum vero Aurelianum proclamasse.*

XIX. Ingenue, libenterque ego fateor quod his Zonarae verbis postremus Claudii morbus, quo Sirmii peste affectus interiit, indicari videtur, quum ibi repente Claudii

(1) Annal. Lib. XII. n. 26.

dii mors, breviſſimum Quintilli imperium, Aureliani electio ſubiiciatur. Quid tamen ſi morbus ille a Zonara indicatus lethalem vere morbum praeceſſerit, & ad ſuperiorem annum 269. referri debeat, eiuſque antiquioris morbi tempore Aurelianus a Claudio *Imperator deſtinatus* fuerit, moxque Claudio ſuperſtite, priſtinaeque ſaluti reſtituto primum poſt Caeſarem locum occupaverit, ac imperatoriam poteſtatem a Claudio acceptam exercuerit? Certe Trebellius ait quod finito bello Gothico peſtis Gothos primum, mox Romanos, & Claudium ipſum invaſit: perſpicue vero certoque erudimur quod victoria Gothica anno 269. parta fuit, ut Idacius in Faſtis expreſſe dicit, & veteri Lapide confirmatur, in quo legitur (1) CLAVD. IMP. VICT. GOTH. PONTIF. MAX. TRIBV. POTEST. COS. II. P. P. PROCOS. longeque clarius in alio Marmore (2) in quo Victoria Gothica cum TRIB. POT. II. COS. II. Claudii coniungitur, ideoque anno 269. adſcribitur. Itaque morbus, quo Claudius Zonara teſte laboraſſe dicitur, ad annum ipſum 269. referri commode poterit; quum praeſertim ipſe deprehenderim Claudium ipſum alio morbo, ex quo convaluerit, laboraſſe, quamvis hic morbus a nullo prorſus Scriptore memoretur. Etenim apud Sponium (3) Marmor occurrit, in quo legitur

APOLLINI INVIC.
EX. VOTO. PRO. SAL.
D. N. P. CLAVDI. AVG.
FLORENTISSIM. PRINC.
C. IVLIVS. SCYLLEROS. V. C.
AVG. N. PROC.
V. CVR.

Vo-

(1) Grut. p. 275. n. 2. Vid. Band. p. 351.
(2) Grut. pag. 275. n. 9. Vid. Reland. Faſt. Conſ. p.
(3) Miſcell. p. 274. Doni Claſ. III. n. 59.

Votivum hoc Marmor Romae excitatum ostendit quod Scylleros Apollini pro reddita Claudio salute gratias agit, quae sane de lethali Claudii morbo dici non poterant. Quid ergo prohibet ne Aureliani *designatio* a Zonara memorata eodem ipso prioris morbi tempore anno 269. facta fuerit? Tantus sane fuit Claudii Caesaris in Aurelianum amor, tantaque spes in illo posita, ut certe eodem ipso tempore universam fere imperii summam, ac imperatoriam potestatem illi concesserit. Hinc in epistola, qua Claudius bellum adversus Gothos adhuc superstites atque in Thracia vagantes Aureliano credidit, ait (1): *Tuo magisterio milites uti volo, tuo ductu Tribunos. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricianos, totumque Limitem in tua potestate constituo*, quemadmodum sane Vopiscus asseruit quod *Equites omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernavit*; & quamvis Claudius (2) imperii initio *Quintillum* fratrem *consortem habere vellet imperii*, ipsum tamen Aureliano subiecit, quum in Epistola ipsa apud Vopiscum (3) mox dicat: *Tecum erit etiam frater Quintillus quum occurrerit: ego rebus aliis occupatus summam belli illius virtutibus tuis credo.* Quis hic aperte non videat perspicuis his indiciis ostendi quod Aurelianus Quintillo ipsi praelatus, Imperator a Claudio designatus, ac veluti in imperio successor destinatus haberi poterit?

XX. Quid vero si clarius aliud eiusmodi designationis indicium ex depravato quodam Aurelii Victoris (4), loco deduci posse ego dixerim? Asserit ille quod *Claudius Gallieni morientis sententia Imperator designatus, ad quem Ticini positum per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat.* Certe, si haec historia de Gallieno vere su-

(1) Vopis. in Aurel. pag. 214.
(2) Trebel. in Claud. p. 205.
(3) In Aurel. p. 214.
(4) In Claud. c. 48.

ſumenda ſit, nihil omnino vel abſurdius, vel putidius effingi poteſt, quum Gallienus ipſe prorſus incolumis dum falſo nuncio excitatus contra Aureolum progredi meditatur repente gladio confoſſus occubuerit, eodemque tempore Valerianus etiam ipſius frater, & Imperator poſt Gallienum trucidatus interierit. Itaque ſive miram Gallieni ſocordiam, ſive fratrem iam Caeſarem & Auguſtum, ſive inexpectatam, ac ſubitam Gallieni mortem ſpectaveris, perſpicuum fiet quod Gallienus ipſe repente confoſſus de ſucceſſore cogitare non potuit, neque debuit; ideoque haec hiſtoria Gallieno adſcribi certe non poteſt. Itaque ſuſpicor haec ab antiquo quodam ſcriptore, quem Zonaras ipſe vidit, de aegrotante Claudio, & Aureliano memorata fuiſſe; mox temere nominibus ab oſcitante librario temere confuſis ad Gallienum morientem, & Claudium ipſum translata fuiſſe, quum praeſertim Gallonius Avitus, qui fortaſſe cum Gallonio Baſilio unus idemque fuit, Aureliani temporibus Thraciorum Legatus floruerit, eidemque Aureliano maxime charus fuerit (1) ideoque facile ab infirmo Claudio ſelectus ut indumenta regia Aureliano deferret.

XXI. Quod ſi nemo prorſus ex Scriptoribus illis qui Claudii, & Aureliani vitam deſcripſere, ſi Zonaram ſolum, & fortaſſe Victorem exceperis, hanc Aureliani deſignationem memorarunt, nihil propemodum ex tanto ipſorum ſilentio deduci poſſe putaverim, quum tanta ſit in coaevis etiam temporum illorum Scriptoribus perplexitas, inconſtantia, ac perturbatio, ut ubique tenebrae, & antiquiorum diſſidia a proximis etiam Scriptoribus obſervata ſint. Ita quum Trebellius (2) dixiſſet quod una cum Gallieno Auguſto etiam Valerianus iunior eius frater occiſus fuit, ingenue ſubdit *quem multi Auguſtum, multi Caeſarem, multi neutrum fuiſſe dicunt*. Sed ipſe tamen Va-

(1) Vopiſc. in Bonoſo p. 247.
(2) In Galli. pag. 181.

Valerianum Imperatorem fuisse probat quod *capto iam Valeriano* seniore *scriptum inveniatur in Fastis* VALERIANO IMPERATORE COS. Ita Vopiscus (1) de Firmo loquens, qui in Aegypto contra Aurelianum imperium arripuit, ait Firmum ipsum a pluribus, & a se quoque *latrunculum fuisse non Principem appellatum* antequam certa imperii ab illo suscepti indicia deprehendisset. Siquidem ait *illum & purpura usum, & percussa moneta Augustum esse vocitatum: quinetiam nummos eius Severus Archontius protulit: de Graecis autem Aegyptiisque Libris convicit illum* Αὐτοκράτορα *in Edictis suis esse vocitatum*. Itaque, si de Valeriani iunioris dignitate Trebellii temporibus, paucis nimirum post Valeriani caedem annis, inter Historicos ambigebatur, si de Firmi imperio ipsa quoque Diocletiani aetate, qua floruit Vopiscus, disceptabatur, quis mirari unquam poterit si Scriptores ipsi Aureliani *designationem* praeterierint, & Augusteum solum ipsius imperium descripserint? Quemadmodum ergo Valeriani iunioris imperium ex Fastis, & Augustea Firmi dignitas ex ipsius nummis agnita, ac perspicue demonstrata fuit, cur eodem ipso, graviorique iure Aureliani designatio ex pluribus nummis illis deduci non poterit, in quibus vel *septimus* imperii annus, vel *septima* Tribunicia Potestas exprimitur? Certe ex pluribus nummis illis perspicue certoque constat quod Aurelianus *septimum* imperii annum incepit, idque non alia ratione intelligi profecto potest, quam si ipsius initium ante Claudii mortem transferatur, quaenam melior, aut expeditior, aut accuratior explicandi ratio proponi unquam poterit, quam si circa Maium mensem anni 269. peracto iam primo Claudii anno, partaque de Gothis victoria Aurelianus a Claudio ipso *Imperator destinatus* fuerit, eoque honore potitus universam fere Imperatoriam potestatem acceperit? Ita sane, quum Aurelianus Imperator anno 270. electus

H fuit

(1) In Firmo pag. 243.

fuit, Monetarii ipsius imperium in signandis nummis non ab ipsius inauguratione, sed ab ipsa *destinatione* supputare poterant, ac Tribuniciam Potestatem ita exprimere perinde ac si haec ab ipsa destinatione processisset, quum praesertim hunc morem in aliis etiam Imperatoribus usurpatum fuisse conspicerent.

XXII. Sic, ut illustre exemplum hic proferam, quum Septimius Severus in Galliis degeret anno 197. Caracallam filium suum Imperatorem *destinavit*, titulus ille vel dignitas in Marmoribus, ac nummis etiam expressus fuit (1). Hinc in duabus Inscriptionibus reperitur (2).

M. AVRELIO
ANTONINO CAES.
IMP. DESTINATO
SEVERI PERTINACIS
AVG. FILIO
RESP. AQV.

in nummis autem legitur DESTINATO IMPERAT. & DESTINATO IMPERATORI. Quamvis autem Caracallae sic destinato Imperatoris insignia, & Tribunicia Potestas, & Augusti nomen proximo solum anno 198. concessum fuerit, ideoque in plerisque nummis Tribunicia Caracallae Potestas ab anno 198. post 13. Aprilis diem veluti cardine deducatur, in pluribus tamen aliis a Pagio (3) prolatis ab anno superiori 197. numeratur; ut Baronius, ac Norisius observarunt, (4), qui quum perplexum hunc nodum intactum reliquissent, ipsius dirempti laudem Pagio concesserunt. Ille nimirum, quum duplex in Caracallae nummis ac marmoribus Tribuniciae Potesta-

(1) Vid. Pag. Crit. ad an. 197. n. 2.
(2) Grut. pag. 267. n. 8. & 9.
(3) Ibi. n. 8.
(4) De Vot. Decen. c. 4.

ftatis initium diftinxiffet, perfpicuis exemplis oftendit quod quum Caracalla *Imperator deftinatus* fuiffet, haec ipfa Tribunicia Poteftas ei *deftinata* cum ceteris, quas deinde obtinuit, numerata fuit. Eiufmodi vero morem, novamque Tribuniciae Poteftatis numerandae rationem, nifi plurimum fallor, ex fimillima Confulatus numerandi ratione iis temporibus invecta profluxit. Etenim in celebri Foroiulienfi infcriptione (1) Aurelianus TRIB. POT. IIII. COS. III. vocatur, ideoque anno 274. *quartus* imperii annus cum *tertio* Confulatu coniungitur perinde ac fi Kal. Ianuarii anni 274. tertio Conful proceffiffet; quum tamen hoc anno nonnifi *fecundum* Confulatum gereret. At Pagius quum obfervaffet in alio Marmore (2) Aurelianum ipfum eodem anno 274. TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. vocari, optime feliciterque coniecit (3) in Foroiulienfi Lapide hunc ipfum Confulatum *defignatum* una cum aliis iam fufceptis numerari, idque longe verifimilius putavit quam fi confulatum fuffectum anno 258. ab Aureliano geftum hic numeratum effe dicatur. Itaque fi in exprimendo confulatuum numero *defignatus* etiam una cum aliis iam fufceptis fupputari confuevit, quamvis incertum foret an Imperator effet fuperftes futurus, & confulatum illum fufcepturus, quanto facilius Tribunicia Poteftas *defignata* numerari potuit, poftquam Imperator illa, ceterifque fequentibus erat potitus? quum praefertim Tribunicia Poteftas, quae olim Auguftorum propria fuerat, fequioribus iis temporibus etiam Caefaribus communis effet, ideoque Hoftiliar (4) CAESAR TRIB. POT. II. PRINC. IVV. vocatur. *Imperatoris* nomen, quod olim Auguftorum peculiare fuerat, poft M. Aurelii tempora Caefaribus quoque tribuebatur:

(1) Vide Pagi differ. Hypat. p. 13. & 69.
(2) Grut. p. 276. n. 4.
(3) Differ. Hyp. p. 13. & 69.
(4) Murat. p. 252. n. 7. & Doni. Claf. III. n. 51.

batur: unde Alexander Severus nondum *Augustus* Αὐτοκράτωρ appellatur, & Volusianus IMPERATOR CAESAR vocatur antequam *Augustus* esset; sicuti vicissim titulus aut nomen *Principis Iuventutis*, olim Caesarum proprium, tunc ipsis quoque *Augustis* tributum esse conspicimus, ut proinde Aurelianus Augustus in Marmore PRINC. IVVEN. vocetur (1), & DIOCLETIANO ORBIS DOMINO PRINCIPI IVVENTVTIS dicatum Marmor occurrat, (2) quod pluribus exemplis aliis Bandurius (3) ostendit.

XXIII. Itaque, ut vela iam contraham, si Aurelianus, circa mensem Maium anni 269. a Claudio successor designatus, Caracallae instar *Imperator destinatus*, vereque amplissima potestate donatus fuit, defunctoque Claudio *consensu omnium Legionum factus est Imperator* (4), ac Tribuniciam Potestatem Augustae coniunctam obtinuit, in hac hypothesi, vel explicandi ratione a me proposita ineunte Augusto mense anni 275. Aurelianus *sextam* Tribuniciam Potestatem, *sextum* imperii annum absolvisset, *septimumque* inchoasset, ideoque in nummis tum graecis, tum latinis etiam *septimus* imperii, vel Tribuniciae Potestatis annus inscribi poterat, & in Aegyptiis *octavus* etiam signari potuisset, si ad 29. Augusti diem pervenisset. Haec autem explicandi ratio longe facilior, & commodior est futura si sex interregni menses Aureliani mortem consequuti Aureliano ipsi cum pluribus concedantur; quemadmodum sane menses ipsos Tacito post interregnum electo ab iis tributos esse conspicimus, qui Marmora collocarunt (5), in quibus TR. P. II. Claudii Ta-

(1) Murat. p. 128.
(2) Doni Claf. III. n. 65.
(3) Pag. 436.
(4) Vopisc. pag. 214.
(5) Grut. p. 277. Vid. Band. p. 417.

Taciti memoratur, quamvis ille vix ſextum imperii menſem attigerit. Quo certe loco depravatus, & adhuc in mendo cubans Vopiſci (1) textus corrigendus erit. Etenim Scriptor ille de Tacito, & Floriano fratribus agens ait: *Duo Principes una extiterunt domo, quorum alter ſex menſibus, alter vix duobus imperarunt quaſi quidam Interreges inter Aurelianum, & Probum poſt interregnum Principes appellati.* Caſaubonus, & Salmaſius hic errorem irrepſiſſe dicunt, quum fratres illi non *poſt interregnum*, ſed interregni tempore appellati fuerint, nihilque tamen adiecerunt, quo perſpicuus error ille corrigeretur. Legendum arbitror *per interregnum*, quum vere uterque frater imperium interregni tempore inter Aurelianum, & Probum acceperit.

XXIV. Ceterum, ut ad Aurelianum ipſum revertar, non facile profecto ego dixerim an ex hoc altero ipſius initio, quod in explicandis eiuſdem nummis adhibui, Euſebii opinio profluxerit, qui tertiam Antiochenam Synodum, in qua Paulus Samoſatenus eius urbis Epiſcopus damnatus, eaque dignitate privatus fuit, Aureliani aetate celebratam eſſe teſtatur. Siquidem Scriptor ille tum diligens, tum eorum temporum proximus de hiſtoria apud orientales celeberrima loquens ait: Κλαύδιος κατήςη διάδοχος· δεύτερον ἔτος διελθὼν ἔτος, Αὐρηλιανῷ μεταδίδωσι τὴν ἡγεμονίαν· καθ᾽ ὃν τελευταίας συγκροτηθείσης πλείςων ὅσων Επισκόπων Συνόδου, φωραθεὶς καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς ἑτεροδοξίαν ὁ τῆς κατὰ Αντιόχειαν αἱρέσεως ἀρχηγὸς (2) *Claudius* Gallieni *ſucceſſor electus eſt: qui quum biennium imperaſſet, Aureliano deinde tradidit principatum. Huius temporibus poſtrema Synodus plurimorum Epiſcoporum congregata eſt, in qua auctor ille nefandae apud Antiochiam haereſeos Paulus convictus, & ab omnibus manifeſtiſſime deprehenſus*

(1) In Flor.
(2) Hiſt. Eccl. Lib. VII. c. 28. & 29. Vid. Syncel.

ius falsi dogmatis reus. Quamvis tamen haec perspicue diserteque ab Eusebio dicantur, compertum est tamen quod Synodus illa anno 269. incaepta, & absoluta fuit. Siquidem Patres, qui ad ipsam convenerant, absoluta iam Synodo Epistolam ad Dionysium Romanum Pontificem Eusebio ipso teste (1) scripserunt, qui ut in Pontificalibus Libris legitur obiit 26. Decembris die *Claudio*, *& Paterno Coss.* hoc est anno 269. (2) ideoque Synodus absoluta, & Epistola scripta fuit Novembri mense, vel, si libeat, alterutro ex duobus sequentibus, quum nondum Dionysii mors in Oriente nunciata foret; Firmilianus vero Caesareae Episcopus paulo ante Synodi initium 28., ut videtur, Novembris die, qua a Graecis colitur, Tarsi obierat, & Gregorius Thaumaturgus, qui Synodo interfuit, & in Menaeis *sub Aureliano* vixisse dicitur, anno sequenti interiit quum ipsius memoria in Ecclesiae Fastis 3. Iulii, vel 17. Novembris die recolatur (3). Baronius, ut nodum hunc solveret, Dionysii mortem & Concilium ipsum ad annum 272. transtulit; Petavius mortem ad sequentem annum transferendam putavit; Valesius perspicuo properantis calami errore *Claudii & Paterni* consulatum in anno 270. collocavit; Pagius (4) hanc Synodum sub Claudio incaeptam & absolutam esse dicit, ideoque Eusebium aut errasse, aut perperam intellectum esse contendit, quumque ea solum Eusebio mens foret quod Paulus iam sub Claudio damnatus Aureliani tempore ab Antiochena sede, quam adhuc Zenobiae patrocinio fretus occupabat, Zenobia victa anno 272. expulsus fuerit, Interpretes omnes existimarunt Antiochenam Synodum, & Pauli damnationem sub Aureliano ipso ab Eu-

(1) Ibi c. 29.
(2) Tillem. Art. IV.
(3) Tillem. Art. II.
(4) Differ. Hyp. p. 372.

Eusebio collocari. Tillemontius (1) autem optime accurateque demonstrat quod haec explicatio a perspicuis Eusebii verbis manifestissime abhorret. Itaque, si Eusebius a manifestissimo errore, ut par est, defendi debeat, id unum supererit ut Aurelianus anno 269. aliqua ratione imperasse dicatur, ut proinde Eusebius Scriptorem aliquem sit sequutus, qui Aureliani initium ab anno 269. duxerat, ideoque Antiochenam Synodum, & Pauli damnationem Aureliani temporibus adscripserat.

(1) Nota IV. p. 665.

EDVARDI CORSINI

EPISTOLA

DE

HERMIAE VABALLATHI

NVMMIS IMPERIO ATQVE AETATE.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO

HANNIBALI

OLIVERIO

PATRICIO PISAVRENSI

EDVARDVS CORSINVS

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM.



I quae fortasse veteris Augustae Historiae pars esse possit, quae maximo optimoque iure legentium animos incredibili rerum novitate, ac mira prorsus diuturnaque Imperii perturbatione percellere, & commovere debeat, ea profecto esse solet, OLIVERI doctissime, quae varios Valeriani Augusti casus, eiusque filii & collegae Gallieni vitam, ideoque res ab anno Chr. 253. ad annum usque 268. in Oriente, atque Occidente gestas complectitur. Etenim primum Valerianum ipsum a Persis superatum, in Persidem abductum, ibique sexennii spatio non captivi Regis, sed mancipii instar oppressum, tandemque immaniter a barbaro Persarum rege interemptum conspicimus. Deinde

vero maxima, & incredibili Gallieni socordia universas Romani Imperii Provincias ita miserrime discerptas intuemur, ut ferventibus ubique bellis novi quotidie Caesares, & Augusti prodierint; ideoque XXX. saltem Tyranni, vel Augusti memorentur, qui omnia susdeque inverterint, licet ignavum Gallieni Caesaris, sive potius, ut in nummo legitur, *Gallienae Augustae* animum minime perturbaverint, qui stipitis instar immotus supremum Imperii funus, & exitium spectabat. Denique, ne squallida Imperii Romani facies hic fusius exponatur, Orientis universi imperium a femina occupatum, filiorumque nomine pluribus annis servatum esse admiramur: ut nihil propemodum insolens adeo, indecorum, ac turpe effingi possit, quod luctuosa illa Gallieni aetate non contigerit. Itaque mirari plane non possumus si in tanta temporum iniquitate, Principum aut Tyrannorum numero, Imperii vastitate, rerumque omnium perturbatione, in ipsis etiam Historiis, ac Nummis mira perplexitas, & obscuritas observetur; quum praesertim Gallieni temporibus in Historicos ipsos, & nummorum artifices incuria, ac barbaries irrepsisset: ut proinde plurimi Nummorum interpretes ab ipso Gallieni Imperio novi, deteriorisque aevi initium in Caesarum, & Augustorum Nummis ducendum esse putaverint.

II. Ex eiusmodi vero Caesarum, aut Tyrannorum nummis, qui plurimi ad haec usque tempora pervenerunt, nulli profecto vel obscuriores, vel magis implexi videntur, quam qui *Vaballathi* nomen, ac vultum praeseferunt; quum maxima, ac mira prorsus varietas in nummis ipsis occurrat, ut, si fortasse *Vaballathi* nomen in iis sustuleris, non ab uno eodemque Principe, sed a pluribus, distinctisque Principibus cusi videantur. Certe in nonnullis *Vaballathus* ipse *Imperator Caesar Augustus* vocatur; in aliis solum *Imperator*, dissi-

dissimulato *Caesaris*, & *Augusti* titulo, occurrit; in aliis denique solo contentus *Vaballathi* nomine nullo prorsus titulo, vel dignitatis indicio decoratur. In Latinis nunquam ille patris nomen ostentat, quod in Aegyptiis tamen semper exprimitur. In Latinis ipsis insuetae prorsus epigraphae sive tituli reperiuntur, quarum explicationem ne divinando quidem exsculpere, aut proferre nunc licet, ut inferius ostendetur ubi titulos, ac epigraphas illas in varias veluti classes ita secernam ut ex eiusmodi nummorum discrimine veram (si fieri id quidem, aut sperari unquam possit) ipsius historiam, variosque casus temere, ut opinor, ab Interpretibus expressos ostendam. Sed haec in tanto veterum Scriptorum silentio vel oscitantia levius ferenda forent. Id vero magis mirandum quod eiusmodi nummorum Interpretes ne verum quidem eius Principis patrem vel genus agnoverint; ideoque tum in explicandis Vaballathi nummis, tum in exprimenda ipsius historia in varias, planeque diffidentes sententias abierint, quas ubi sincere, suisque fere coloribus expressero, eam, quae mihi verisimilior censetur, exponam. An vero rem acu tetigerim nemo sane, OLIVERI praestantissime, Te facilius intelligere, vel accuratius iudicare poterit, quum maxima & incredibili historiarum cognitione, veterum monumentorum scientia, praesertim vero obscuriorum numismatum rite explicandorum felicitate mirifice excellas. Quis enim ignoret quam nitide, diligenter, atque accurate veteris Quiritum pecuniae symbola, pondus ac vicissitudines demonstraveris? Quem fugiat in Etruscis monumentis omnibus rite explorandis Te subtiliter adeo, ingeniosequе versatum esse, ut controversiam, quae inter doctissimos sane Viros exarserat, veluti sequester diremeris, aut certe breviorem, longeque nitidiorem Eruditorum oculis, ac iudicio subieceris? Quis denique, ne in praeclaris aliis ingenii tui monumentis recensendis hic

im-

immorer, quis ingenue non fateatur Tibi uni gloriam, ac illuſtre decus deberi quod Samniticos nummos acutioribus etiam Viris incognitos, ſimulque antiquiſſimos Romanorum characteres ac voces iis inſculptas perſpicue certoque explicaveris, & eximium Romanae Hiſtoriae caput nova quadam, & admirabili luce perfuderis? Itaque, licet reprehendi poſſe ego videar quod eiuſmodi Virum veluti controverſiae iudicem non formidaverim, in eo tamen aut laudem aut veniam ſperare ego potero quod tenuem hanc ſtudiorum meorum partem aequiſſimi, atque humaniſſimi viri nomine, & auſpicio decoraverim. Quod ſi fortaſſe nova haec opinio, quae explicandis *Vaballathi* nummis, eiuſque hiſtoriae contexendae a me proponitur, Tibi probetur, nihil eſt certe quin ipſam Eruditis aliis, ac ſeverioribus etiam iudicibus probari poſſe confidam.

III. Vt autem plurima, quae de Vaballathi nummis, hiſtoria, variiſque caſibus dicenda nobis occurrent, facilius intelligi, & accuratius exponi poſſint, in ipſo veluti limine obſervari plurimum velim quod quum Valerianus Auguſtus Gallieni pater, ac in imperio collega in Orientem profectus contra Saporem Perſarum regem infeliciſſime dimicaſſet, ab eoque captus anno Chr. 260. & in Perſidem abductus eſſet, Sapor ipſe victoria, ac praeda ſuperbiens finitimas omnes Syriae Provincias Romanorum ſocias vexavit, ſupremamque Romano Imperio cladem intuliſſet, niſi Odenathus Palmyrenorum Princeps eximia in Romanos fide, ac Valerianum pietate, & acerrimo in Perſas odio incenſus Provincias illas, ac Romanum Imperium ab impendente exitio conſervaſſet.

IV. Quamvis autem Hiſtorici de bellica Odenathi virtute, ac praeclaris animi, corporiſque dotibus mire conſentiant, in exponenda tamen ipſius origine, & conditione plurimum diſſident. Etenim Agathias (1) ipſum ob-

(1) Libr. IV. pag. 74.

obscuri, ignotique generis fuisse dicit, solaque bellica fortitudine, partisque victoriis illustrem Ὀδέναθος ὁ Παλμυρηνὸς ἀνὴρ ἀφανὴς μὲν τὰ πρῶτα, καὶ ἄγνωστος· ταῖς δὲ Σαπώρου συμφοραῖς, καὶ οἷς ἔδρασεν ἐπ᾽ αὐτῷ, μεγίστην ἀράμενος δόξαν *Odenathus Palmyrenus vir initio quidem obscurus, & ignotus; e cladibus tamen Sapori illatis, rebusque in eum gestis summam consequutus gloriam*. Odenathus ipse a Sexto Rufo (1), & a Hieronymo (2) *Decurio Palmyrenorum*, atque a Trebellio (3) *Princeps Palmyrenorum* vocatur. Zosimus (4) ait quod quum Gallienus in Scythas profecturus esset, Persici belli Ducem elegit Odenathum ἄνδρα Παλμυρηνὸν, καὶ ἐκ προγόνων τῆς παρὰ τῶν Βασιλέων ἀξιωθέντα τιμῆς *virum Palmyrenum, & inde usque a maioribus suis eum honorem consecutum, qui concedi ab Imperatoribus solet*: Zonaras (5) illum ἡγεμονεύοντα τῶν Παλμυρηνῶν *Palmyrenorum Praesidem*, sive *Ducem* vocat, alibique dicit quod Gallienus ipsum πάσης ἀνατολῆς προεχειρίσατο Στρατηγὸν *totius Orientis Praefectum creavit*. Procopius (6) asserit quod *Zenobia fuit uxor Odenathis Regis Saracenorum in eo tractu degentium, qui veteri foedere coniuncti Romanis erant: & hic fuit Odenathes, qui Imperium Orientale Romanis asseruit victum a Medis*. Itaque, si clarioribus, gravioribusque Veterum testimoniis insistamus, dubitari certe non poterit quin Odenathus ipse & avita generis gloria, & opibus, & auctoritate insignis fuerit, ideoque merito Zenobiam uxorem duxerit, quae Trebellio (7) teste *mulierum omnium Orientalium nobilissima, & speciosissima* fuit, atque

(1) Breviar. num. 23.
(2) In Chr. ad an 266.
(3) In Odena
(4) Libr. I. in Galli.
(5) Lib. XII. n. 26.
(6) De Bel. Pers. Lib. II. c. 5.
(7) In Oden. p. 192.

atque a Seguino (1) Cleopatrae affinis, simulque ex Romana familia oriunda fuisse creditur, quum Zenobia ipsa in nummis *Septimia Zenobia Augusta* dicatur, atque a Septimio illo fortasse vel nomen, vel originem duxerit, qui in Ptolemaei postremi aula praecipuus fuit, ac Pompeium interemit: quemadmodum etiam Zenobiae pater, aut avus in *Septimiam* gentem ab Imperatore Septimio Severo adsciſci potuit, qui ante imperium Syriae praefuit. Ita prorsus in Palmyreno Marmore, quod anno Chr. 267 Palmyrae positum fuit, nominatur (2) *Septimius Vorodes Proc. Aug.* in alio anni 254. *Septimius Airanus Odenathi filius splendidissimus Senator* (3); itidemque in alio (4) *Septimius Odenathus Airani Vaballathi* filius, *Nasori* nepos: quod nimirum Palmyrenorum plures Zenobiae, ac ipsius fortasse Odenathi instar in *Septimiam* familiam recepti iam forent.

V. Ceterum, licet Odenathus hac avita generis nobilitate, & ipsa quoque Zenobiae coniugis gloria excelleret, nondum tamen *Regis* nomine decoratus erat. Siquidem Trebellius (5) de eius itinere, ac bellico apparatu contra Saporem susceptо loquens ait *Odenathus assumpto nomine primum regali cum uxore Zenobia, & filio maiore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano, & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est.* Deinde vero Odenathus rebus in Perside feliciter praeclareque gestis *rediens Imperatoris nomen accepit.* Hinc Trebellius (6) ipse testatur quod *capto Valeriano, cum Odenathus iam Orientis cepisset Imperium, totius prope Orientis factus est Imperator.* Quinetiam Herodes quoque *non Zenobia matre, sed priore uxore*

(1) Selecta Numis. pag. 76.
(2) Murat. p. 744. n. 1.
(3) Ibi n. 2.
(4) Ibi n. 3.
(5) In Odena. p. 192.
(6) In Gallien. pag. 175.

uxore genitus cum patre accepit Imperium (1); ideoque *Herodes* ipse *post reditum de Perside cum patre Imperator est appellatus* (2). Eiusmodi vero *Imperatoris* nomine, quod Odenathus ex Perside rediens assumpsit, ac Herodi quoque filiorum maximo communicavit, non *Augusti* dignitatem, sed solum ex veteri Romanorum consuetudine supremam in milites potestatem, ac belli administrandi ius designatum esse putaverim; ideoque nummos mox proferendos, quibus Herodes, atque Odenathus etiam *Augustus* vocatur, aliquanto serius cusos existimo. Id ex singulari, sed obscurissimo tamen Herodiani nummo deduci posse ego suspicor, in cuius antica parte circa Herodiani caput legitur (3)

HERODIANVS IMPERATOR V M

In adversa vero parte ubi figura stans cornucopiae dextra, sinistra biceps ferrum ignotum tenens conspicitur, haec epigraphe habetur

MANOSMIOD

Quum Herodes, sive Herodianus ex Perside reversus Trebellio teste cum Odenatho patre *Imperator sit appellatus*, legendum arbitror IMPERATOR *Vtriusque Militiae*. Quamvis enim saepissime in Latinis Scriptoribus, ac Marmoribus etiam *Magister Militum*, *Magister utriu que Militiae*, peditum nempe, atque equitum, reperiatur; fieri tamen profecto potuit ut Magister ille nobiliori etiam nomine *Imperator* vocaretur, atque Odenathus in Herodiani nummis eximiam hanc dignitatem ac potestatem filio concessam expresserit.

K Ad-

(1) Trebel. in Herode p. 193.
(2) Treb. in Oden. p. 102.
(3) Band. p. 282. Mediob. p. 385.

Adversam vero nummi ipsius epigraphem ita legendam opinor

MANOS Militum In Oriente Dux

Ac certe quidem vox *Manos*, vel *Manus* frequenter admodum in Edessena, vel Osrhoena historia occurrit (1), atque in Lucillae nummo MANNOC Osrhoenes Dynasta habetur (2), quamvis alibi MANOC legatur (3). Licet autem in Latino nummo Latina inflexio servari, ideoque *Manus* exarari debuisset, plurimis tamen exemplis apparet quod Graeca quoque, sive potius antiquior Latinorum inflexio usurpata fuit. Sic in Marmore *V. C. C. Iulius Scyleros* (4) habetur, in nummis DIVOS IVLIVS (5), DIVOS CLAVDIVS (6), PHILIPPOS (7), *Beturios*, *Contuios &c.* legitur, atque in nummo quodam apud Gesnerum (8) circa Equitem legitur ƆONNOIΔ, illudque nomen sibi incompertum esse fatetur Gesnerus. Ego vero vix dubito quin illud idem nomen, idemque vir esse debeat, qui in simili prorsus nummo apud Gesnerum ipsum (9) MONOC vocatur. Itaque in Herodiani nummo *Manos* illustris quidam Osrhoenes regionis vir intelligi fortasse debet, qui in Osrhoene, sive, si libet, Oriente *Militum Dux*, sive *Militiae Magister* fuerit. Nulli vero mirum esse debet si Manus ipse cum Herodiano, ideoque *Militiae Dux* cum utriusque Militiae *Imperatore* in nummo conjun-

(1) Vid. Bayer. Hist. Osrhoe.
(2) Seguin. Sel. Num. pag. 258.
(3) Dio. Lib. 68.
(4) Spon. Misc. p. 274.
(5) Mediobar. p. 92.
(6) Froelic. pag. 92.
(7) Ibi p. 128.
(8) Tab. 84. n. 9.
(9) Vir. Ill. Tab. 4. n. 22.

niungatur. Siquidem etiam in Valeriani senioris nummo (1), qui Tillemontio (2) iudice anno 256. cusus fuit, in adversa parte legitur (3)

GALLIENVS CVM EXER. SVO

Illud potius mirandum quod Cl. Bimardus (4) asserit in Museo Regio Aegyptium Aureliani nummum reperiri, in cuius antica parte Aureliani, & Athenodori cuiusdam capita sese respicientia observantur: perinde ac si Athenodorus ille Aureliani socius, ac imperii collega fuisset, quod tamen a nullo prorsus veterum Scriptorum memoratur. Quandoquidem vero Bimardus neque nummi typum, neque epigraphen, ut par erat, expressit, nihil omnino de eiusmodi Athenodori genere, ac dignitate decerni nunc potest; idque unum ex hoc ipso exemplo suaderi, vel confirmari poterit quod si Aurelianus Augustus Athenodori veluti Imperatoris, aut Militiae Ducis nomen in nummis suis expressit, longe facilius ab Herodiano Mani nomen exprimi profecto poterat; quum Herodianus ipse, atque etiam Odenathus ipsius pater, post reditum de Perside ac victorias de Sapore Rege partas non *Augusti*, vel *Caesaris*, sed solo *Imperatoris* titulo decorati forent.

VI. Tantum vero abest ut novum hoc *Regis*, ac *Imperatoris* nomen ab Odenatho susceptum Romanis, ipsique Gallieno grave fuerit, ut potius Gallienus ipse Odenathum postquam Persas vastavit (5) *participato Imperio Augustum vocaverit, eiusque monetam, qua Persas captos traberet, cudi jusserit, quod & Senatus, & Vrbs,*

K 2 *& omnis*

(1) Mediob. p. 367.
(2) In Valeri Art. II. p. 302.
(3) Band. p. 106. 107.
(4) Introd. ad Scient. Numis. Tom. II. p. 450.
(5) Trebel. in Gallie. p. 180.

& omnis aetas gratanter accepit. Id vero circa menfem Iunium anni 264. contigiffe debuit, quum Trebellius affeᵣat (1) quod *Gallieno, & Saturnino Coff. Odenathus Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium*; alibique (2) dicat id contigiffe poftquam Gallienus decennalia fua celebraverat, quae fane in menfem, ac annum illum inciderant. Eiufmodi vero tum *Imperatoris*, tum *Augufti* nomine ac dignitate Odenathum tribus faltem annis petitum fuiffe demonftrant eius nummi, in quibus habetur (3)

IMP. C. ODENATHVS P. F. AVG

ATT. KAIC. ΟΔΗΝΑΘΟC CEB. L. Γ.

ATT. KAIC. ΟΔΗΝΑΘΟC CEB. ETC. L. Δ.

idemque prorfus de Herode, vel Herodiano eius filio dici debet, quum in nummis eius legatur

IMP. C. HERODES P. F. AVG.

IMP. C. HERODIANVS AVG.

ATT. KAI. ΗΡΩΔΙΑΝΟC CEB. L. Γ.

Itaque Odenathi, fimulque Herodis caedes, quae nefario Maeonii fcelere, Zenobia ipfa, ut fertur, confentiente patrata fuit, poftremis anni 267. menfibus adfcribi debet poftquam proximo, ut fcribit Syncellus, ante mortem anno, ideoque anno 266. Odenathus irruptione iterum in Perfidem facta Carrhas, & Ctefi-

phon-

(1) In Gallieno p. 170.
(2) In Salonino pag. 184.
(3) Band. p. 281. 282.

phontem Mesopotamiae urbes invaserat (1). Eo defuncto, ut testatur Trebellius (2), *Zenobia uxor eius quod parvuli essent filii eius* Odenathi, *qui supererant Herennianus, & Timolaus, ipsa suscepit imperium:* id tamen non suo, sed filiorum nomine ab illa factum fuisse Trebellius ipse alio in loco memorat (3) *Odenathus moriens duos parvulos reliquit Herennianum, & fratrem eius Timolaum, quorum nomine Zenobia usurpato sibi Imperio.. rempublicam obtinuit, parvulos Romani Imperatoris babitu proferens purpuratos;* alibique dicit (4) quod *Zenobia post Odenathum maritum imperiali sagulo perfuso per humeros babitu Didonis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani, & Timolai imperavit.* Ac certe quidem in latino ipsorum nummo, quem ex Ursino profert Tristanus, legitur (5)

HERENNIANVS ET TIMOLAVS AVGG

atque in adversa parte PRINC. IVVEN. & in aliis a Baudelotio descriptis habetur (6)

ΑΥΤ. Κ. ΗΡΕΝΝΙΑΝΟϹ ϹΕΒ.

ΑΥΤ. Κ. ΤΙΜΟΛΑΟϹ ϹΕΒ

sicuti tres Zenobiae ipsius nummi reperiuntur, in quibus illa vocatur (7)

ϹΕΠΤΙΜΙΑ ΖΗΝΟΒΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ L. ε

item-

(1) Vid. Tillem. in Galli. Art. XV.
(2) In Galli p. 180 & Hieron. in Chron.
(3) In Heren. pag. 197.
(4) In Zenob. p. 198.
(5) Vid. Band. p. 398.
(6) Utili des Voya. Tom. II. p. 370.
(7) Band. p. 395.

itemque ab Harduino nummus alius describitur (1) cum L. Z. *anno septimo*, qui proinde anno 271. cudi debuit, proximo nimirum antequam ab Aureliano superata, & capta illa foret. Itaque Harduinus ipse profecto fallitur dum *septimum* hunc annum Zenobiae nummo inscriptum non Zenobiae, sed Vaballathi filii fuisse dicit, cuius nomine imperabat Zenobia. Siquidem Vaballathus ipse imperium nonnisi 267. anno post Odenathi mortem suscepisse potuit, ideoque anno 272. superatus *septimum* imperii annum auspicari non potuit: unde in eius nummis *secundus* Aureliani annus, hoc est 271. cum Vaballathi *quinto* coniunctus conspicitur. Ita quoque Harduinus (2) ipse decipitur dum characteribus ΠΑΛ, qui in adversa eius nummi facie prope palmam arborem exprimuntur, *Palaestinam* designari putavit; quum perspicue potius *Palmyra* Zenobiae regia designetur (3).

VI. Quamvis autem Trebellius constanter adeo, diserteque dixerit quod Zenobia Herenniani ac Timolai filiorum nomine imperium suscepit, illos Augustorum habitu purpuratos ostendit, utrumque in latino, & graecis nummis *Augustum* vocavit; Vopiscus (4) tamen ab illa non Herenniani, & Timolai, sed *Balbati* filii nomine imperium susceptum fuisse dicit. Siquidem pluribus ad Zenobiam ipsam spectant bus perspicue narratis ait: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai, & Herenniani, imperium tenuisse, quod tenuit.* Hinc Casaubonus (5) Vopiscum errasse, atque in ipso quoque *Balbati* nomine deceptum esse putavit, quod Vir Cl. prorsus

(1) Hist. Aug.
(2) Hard. in Tetrico.
(3) Vid. Band. in Adden.
(4) In Aurel. p. 221.
(5) Notae ad Vopisc. p. 232.

prorsus confictum temereque ex vulgi errore formatum existimavit. Etenim, ut Casaubonus ait, quum Romani Palmyrenos, aut Syros illustria quaedam de *Babala*, vel *Babalat*, hoc est Syriaca lingua de *Regina* narrantes audirent, hoc ignoto nomine *Regem* aliquem a Syris indicari putarunt, ideoque *Balbatum* Zenobiae filium temere fingentes Vopiscum ipsum in errorem induxerunt. Hinc Casaubonus ipse, quum in nummis ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΡΜΕΝΙΑC exaratum esse intelligeret, Vaballathum hunc in nummis expressum Armeniae Regem fuisse credidit, nihilque prorsus eiusmodi nummos ad Zenobiam, aut ad commentitium illum *Balbatum* Zenobiae filium spectare. Insignem hunc doctissimi alioquin Viri errorem demonstravit Salmasius: quum praesertim in Palatino Vopisci Codice pro *Balbathi* legatur *Baballathi*, quod ex vulgari pronunciandi more idem est profecto ac *Vaballathi*; ideoque merito Tristanus omnium primus nummos omnes *Vaballathi* nomine insignes ad hunc *Balbathum*, sive potius *Vaballathum* Zenobiae filium a Vopisco solo memoratum referendos esse coniecit.

VIII. Quandoquidem vero Trebellius asserit quod Zenobia Herenniani, & Timolai nomine imperium suscepit; Vopiscus autem perspicue testatur eam *Balbati filii nomine, non Timolai, & Herenniani, imperium tenuisse, quod tenuit*, ut haec duo mire diffidentia Trebellii, ac Vopisci testimonia componerent, simulque accuratam historiae seriem ex scriptoribus illis contexerent, Tristanus (1), Vaillantius (2), Bouhierius (3), aliique plures varias, planeque diffidentes rationes excogitarunt. Ac Tristanus quidem, qui omnium primus *Vaballathi* nomen in nummis impressum, sed Historicis tamen omnibus prorsus

(1) In Tom. III. p. 211.
(2) Mem. Acad. Inscript. Tom. II. par. 2.
(3) Dissert. de Num. Vabal.

ſus ignotum, in depravato Vopiſci loco deprehendit, Vaballathum ipſum non Odenathi, ac Zenobiae, ſed eius Herodis filium fuiſſe dicit, quem Odenathus, ut antea vidimus, non ex Zenobia, ſed ex priore coniuge ſuſceperat. Hinc in ſuperiori Vopiſci loco legendum eſſe putat Triſtanus *Vaballathi Herodis filii nomine*, idemque prorſus Vaillantius, ac Pagius (1) aſſeruit; quumque Vaballathus ipſe in Nummis, ut inferius oſtendetur, *Athenae* filius dicatur, Vaillantius hoc *Athenae* nomine Herodem ipſum deſignari credidit: perinde ac ſi Herodes alio quoque nomine *Athenas* vocaretur. Hinc integram Vaballathi hiſtoriam ita contexuit Vaillantius ut poſt nefariam Odenathi, & Herodis caedem Zenobia Vaballathi nomine imperium ſuſceperit; Romani vero, ne inſidiae a ſuperba animique viriliş femina ipſi quoque Herodis filio ſtruerentur, adoleſcentem Romam deduxerint ut ibi educaretur; quumque demum Aurelianus anno 270. imperium ſuſcepiſſet, Vaballathus in Aegyptum veluti Romanorum fautor, & ſocius miſſus fuerit, ibique nummos illos ſignaverit, quos Aureliani Auguſti nomine & vultu decoratos conſpicimus. Denique quum Zenobia, quae interim imperium non Vaballathi abſentis, Romaniſque addicti, ſed Herenniani ac Timolai nomine occupabat, in Oriente victa, Romamque in triumphum deducta fuiſſet, Aurelianus Vaballatho non imperium quidem Orientis ſed tamen regnum aliquod aut dignitatem conceſſit, qua decoratus novem illos latinos nummos ſignavit, in quibus legitur

VABALLATHVS VCRIMDR

VABALLATHVS REXVCRIMPP

VABALLATHVS ITER IMPR.

Hinc

(1) Crit. ad an. 274. n. 7.

Hinc facile intelligi, & explicari posse Vaillantius existimavit cur Vaballathus Romanorum socius, & amicus fuerit, ideoque tum in Vaballathi, tum in Aureliani nummis utriusque Imperatoris nomen ac vultus coniunctus appareat; deinde vero Vaballathus *Augusti* nomine spoliatus obscuriori solum titulo decoratus occurrat. Intelligi quoque poterit cur Zenobia Romanis infensa Heraclianum, qui post Odenathi mortem ad regendas Provincias illas missus fuerat, expulerit (1); moxque Probatum Aegypti Praesidem vicerit, ac Aegyptum ipsam semel iterumque occupaverit: quod illa nimirum & Herodi, & Vaballatho Herodis filio infensa foret: quae sane facile intelligi, & explicari non possent, si Vaballathus Odenathi, ideoque Zenobiae ipsius filius fuisset.

IX. Quum vero haec emendatio in Vopisci textu adhibita, & haec universa rerum series a Tristano, & Vaillantio proposita liberior videretur, Bouhierius Spanhemii, Bandurii, aliorumque vestigiis insistens existimavit quod Vaballathus Odenathi ac Zenobiae filius natu maximus fuerit; quumque prius Zenobia Vaballathi filii nomine imperium suscepisset, ubi conspexit Vaballathum ipsum Romanis partibus addictum esse, non amplius Vaballathi, sed aliorum filiorum nomine Herenniani, ac Timolai imperium contra Romanos, ac Vaballathum ipsum invaserit. Itaque Bouhierius optime a Vopisco dictum existimat quod illa Balbathi nomine, non Herenniani & Timolai imperium tenuit; optime quoque a Trebellio dictum quod illa Herenniani, & Timolai nomine imperavit: quod nimirum Vopiscus quidem de primis, Trebellius vero de postremis Zenobiae imperantis temporibus loquatur. Denique, ne obscuriores opiniones alias hic memorem, Patinus & Begerus Vaballathum ipsum Odenathi ex priori coniuge,

(1) Trebel. in Gallie. p. 180.

Herodis inſtar, filium, ideoque Herodis fratrem natu minorem fuiſſe dicit: fortaſſe quod a Scriptoribus Herennianus ſolum, & Timolaus Zenobiae filii memorentur.

X. Nihil eſt autem cur in variis illorum ſententiis refellendis diutius immorer, quum ipſarum levitas in oculos ipſos incurrat, ac Triſtani in primis opinio, quamvis a Vaillantio probata fuerit, ſatis a Spanhemio (1), ac Tillemontio (2) confutata ſit. Quis enim facile contra perſpicuum Vopiſci teſtimonium conceſſerit Vaballathum non Odenathi ac Zenobiae, ſed Herodis filium fuiſſe, atque Herodem ipſum *Athenae* nomine vocatum eſſe, quum praeſertim Herodes in quinque ipſius nummis, qui ſuperſunt, ſemper *Herodes*, aut *Herodianus*, nunquam vero *Athenas* vocetur? Quod vero Vaballathus ipſe Romam delatus ibique educatus, anno 270. Aegypto redditus, tandemque ſuperata Zenobia ignoto quodam imperio donatus fuerit, ac latinos nummos cum epigraphe VCRIMDR ſignaverit, nulla veri ſpecie, ac nullo prorſus veterum Scriptorum praeſidio aſſeritur; iique latini nummi longe veriſimilius in aliqua Occidentis Provincia cuſi videntur, ut inferius oſtendetur. Nec multo ſane felicior altera Bouhierii opinio, in qua Odenathus ipſe *Athenas* vocatur, quum ipſe in nummis ſuperius expoſitis ſemper ODENATHVS & ΟΔΗΝΑΘΟC nominetur. Deinde vero quis credat aut Aurelianum Zenobiae filio Aegypti, vel Orientis imperium commiſiſſe dum Zenobia ipſa Romanis infenſa Romanorum duces in Aegypto degentes vexabat; vel Zenobiam filium ſibi rebellem, Romaniſque addictum in Oriente imperantem ferre potuiſſe? Itaque ſive Zenobiae calliditati, ſive iam concepto in Vaballathum odio id tribuatur, nihil abſurdius effingi poteſt quam ut Zenobia non Bal-

bati,

(1) De Praeſt. Numiſ. Lib. VII. pag. 598.
(2) In Aurel. Nota X. pag. 534.

bati, ſed ſolo aliorum filiorum nomine imperaſſe dicatur, & Vaballatho filio prius amica, mox inimica cenſeatur, eaque ratione Vopiſcus cum Trebellio componatur.

XI. Ut autem reiectis ſententiis illis longe accuratior, ac niſi mea me fallit opinio, vera Vopiſci explicandi ratio proponatur, illud initio obſervandum, mihique oſtendendum putaverim quod Vaballathus ille neque Odenathi, neque Herodis, ut hactenus Antiquariis ac Eruditis omnibus exiſtimatum, ſed *Athenae* filius fuit, atque *Athenas* ille tum ab *Herode*, tum ab *Odenatho* diſtingui debet: quae ſane diſtinctio a me propoſita ſi a Cl. Viris illis obſervata fuiſſet, facile, ut opinor, diſſidentia Vopiſci, & Trebellii loca conciliaſſent, neque conciliandis illis leviſſimis ſolum coniecturis abrepti temporum illorum hiſtoriam perturbaſſent. Ac certe quidem quod Vaballathus ipſe non alterius, quam *Athenae* filius fuerit quodnam illuſtrius, ac fortius argumentum aliud optari unquam poterit, quam quod ille in *octo* nummorum epigraphe ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ perſpicue diſerteque dicatur? Qua vero ratione vel indicio probari unquam poterit *Athenam* hunc Vaballathi patrem aut cum *Herode*, aut cum *Odenatho* confundi poſſe, quum ut antea vidimus, in ipſorum nummis nuſquam *Athenae*, ſed ubique *Herodis* ac *Odenathi* nomen occurrat? niſi quis ludicram Begeri (1) coniecturam ſequatur, qui ex ΟΔΗΝΑΘΟC reiecta priori ſyllaba ΟΔ, ceteriſque ΗΝΑΘΟC rite tranſpoſitis, ΑΘΗΝΟC nomen formari obſervavit. Eiuſmodi quidem coniecturae vis aliqua accederet, ſi quemadmodum in tribus nummis in Muſeo Theupolo (2) deſcriptis Cl. Editor legerat ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟC, ita

L 2

(1) Theſ. Brandeb. Tom. I. p. 762.
(2) Pag. 1191.

ita quoque in nummis omnibus legeretur; ideoque vox illa non Vaballathi patrem, sed tertium veluti ipsius nomen exprimeret. Verum quum in ceteris nummis omnibus non ΑΘΗΝΟϹ, sed ubique constanter ΑΘΗΝΟΥ, vel ΑΘΗΝΥ legatur, tres nummos illos vel perperam ab Artifice exaratos, vel perperam descriptos esse dicemus, quod saepius in eximio hoc Opere contigisse iam monui. Itaque dubitari non posse putaverim quod ΑΘΗΝΟΥ *Athenae*. nomine non Vaballathus, sed Vaballathi pater ab Herode, & Odenatho distinctus exprimatur. Ita propemodum mirari sane quis poterit quod Begerus (1), & Bimardus (2) non ΕΡΜΙΑϹ, sed ΕΡΩΙΑϹ, hoc est *Ερωιας Heroias* legendum existiment. Quamvis enim in nummo, quem inspexere, ita facili profecto errore exaratum esset, attamen in nummis aliis constanter legitur ΕΡΜΙΑϹ, ideoque de hoc primo Vaballathi nomine dubitari non potest.

XII. Quandoquidem vero rerum gestarum series, & perspicuus hac in parte Vopisci locus ostendit quod Vaballathus ipse Zenobiae filius erat, controversiam, & ambagem hanc ita dirimendam existimo, ut quemadmodum Odenathus ante Zenobiam uxorem aliam duxerat, atque ex illa Herodem filium susceperat, ita quoque Zenobia ipsa antequam Odenatho nuberet, maritum alium *Athenam* habuerit, atque ex illo *Vaballathum* susceperit: quumque demum Odenathus & Zenobia coniugium iniissent, liberos duos Herennianum, ac Timolaum genuerint, ac fortasse etiam filias, quae a Zonara (3) memorantur. In hac hypothesi, qua nulla sane simplicior, ac verisimilior afferri poterit, perspicue certoque explicatur cur Vaballathus Zenobiae filius in nummis *Athenae* filius dicatur; neque tamen aut Herodis,

(1) Thes. Brandeb. p. 762.
(2) Introd. ad Scien. Numis. Tom. II. p. . ,
(3) Lib. XII. num. 27.

rodis, aut Odenathi filius esse debeat. Explicatur etiam cur Odenatho, atque Herode Maeonii, simulque Zenobiae fraudibus interempto commune hoc infortunium Vaballathus non Odenathi, non Herodis, sed Zenobiae defunctique Athenae filius evaserit. Explicatur cur Odenathus ex Perside reversus anno 264. *Regis* nomen, & *Imperatoris* dignitatem sibi, Zenobiae uxori, atque Herodi filiorum suorum maximo, non Vaballatho Athenae filio, ideoque privigno suo concesserit. Explicari etiam poterit cur Vaballathus Herennianus, & Timolaus Zenobiae filii fuerint; sed simul etiam a Trebellio (1) dicatur quod *Odenathus moriens duos parvulos reliquit Herennianum, & fratrem eius Timolaum, quorum nomine Zenobia usurpato sibi imperio Rempublicam obtinuit parvulos Romani Imperatoris habitu proferens purpuratos:* quia nimirum Vaballathus neque ab Odenatho genitus, neque ab Odenatho *relictus* erat, ideoque hic a Trebellio cum veris Odenathi filiis recensendus non fuerat. Denique, ut cetera omittam, perplexus ille Vopisci locus facile intelligi, & explicari iam poterit ubi Scriptor ille memoratis Zenobiae rebus, quasi novum aliquid, singulare, atque a lectoribus observandum dicturus, subdit: (2) *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai, & Herenniani imperium tenuisse, quod tenuit.* Siquidem, si Balbatus ille, seu Vaballathus Herenniani, & Timolai instar Odenathi ac Zenobiae filius fuisset, quid mirum, insolitum, atque a lectoribus observandum fuisset quod Zenobia non Timolai, & Herenniani, qui minores aetate fuerant, sed Balbati natu maximi nomine imperium suscepisset, quum filiorum quilibet, ac praesertim Vaballathus natu maior paternum imperium haereditario iure sibi debitum vindicaret, ideoque Ze-

no-

(1) In Heren. p. 197.
(2) Vopis. in Aurel. p. 221.

nobia ipsius nomine imperium illud obtinere deberet? Vicissim vero illud certe mirum, insolitum, ideoque lectoribus monendum quod, licet Vaballathus Odenathi filius non foret, ideoque nullum omnino ius ad Odenathi imperium haberet, a Zenobia tamen veris Odenathi filiis praelatus fuerit, ideoque ab illa non Herenniani, ac Timolai, sed Vaballathi nomine imperium occupatum fuerit.

XIII. Ac certe quidem, nisi haec postrema Vopisci verba hoc uno sensu intelligantur, Vopiscus ipse non modo a Trebellio, verum etiam a seipso quoque dissideret, quum paullo superius dixisset (1) quod Aurelianus Augustus iter suscepit *contra Palmyrenos, idest contra Zenobiam, quae filiorum nomine Orientale tenebat Imperium*. Ergo Vopiscus quum illud unum veluti insolitum observasset quod Zenobia Balbati, non Herenniani, ac Timolai nomine imperaverit, postremos hos Zenobiae filios non excludit, sed iis Balbatum uterinum eorum fratrem additum, ac veluti praelatum indicat: perinde ac si dixisset Zenobiam non solo Herenniani & Timolai, ut par fuerat, sed Balbati quoque nomine imperasse. Hinc certe fallitur Salmasius (2), qui a Vopisco unicum solum Zenobiae filium, hoc est Vaballathum admitti putavit; quemadmodum prorsus a Zosimo (3) unicum Zenobiae filium admissum, atque indicatum esse testatur, quum Scriptor ille referat quod ex plurimis, qui cum Zenobia eiusque *filio* Romam deducebantur, omnes *excepto Zenobiae filio* in itinere perierunt. Sed observare facile poterat Salmasius quod Vopiscus ipse iam dixerat Zenobiam *filiorum nomine* imperasse, ideoque plures Zenobiae filios admiserat. Ad Zosimum vero quod attinet, Scriptor ille ab ipso quoque Salmasio mendacissimus appellatur, eiusque narratio, quaecumque illa sit, id unum osten-

(1) Vopis. in Aurel. p. 216.
(2) Ad Vopis. p. 380.
(3) Libr. I. in Aurel.

ostenderet quod unicus Zenobiae filius Romam pervenerit, ceterique in Oriente interierint; non vero quod unicum Zenobia filium susceperit, eiusque nomine imperaverit. Ceterum hac in re longe gravior Trebellii auctoritas esse debet, qui *parvulos Romani Imperatoris habitu purpuratos* a matre ostensos esse testatur (1), asseritque (2) quod Aurelianus *Tetricum per triumphum duxit eodem tempore, quo & Zenobiam Odenathi uxorem cum filiis minoribus Odenathi Herenniano, & Timolao*. Denique, quum Herennianus, ac Timolaus in nummis ipsis occurrant, atque in iis *Augusti* nomine decorentur, quis dubitare unquam poterit quin Zenobia hos etiam filios susceperit, eorumque etiam nomine imperaverit?

XIV. Quamvis autem Zenobia Vaballathum ipsum, quem ex *Athena* priori viro susceperat, filiis aliis ex Odenatho susceptis praetulerit, eius nomine Orientis imperium dum Claudius viveret, Gothicoque bello intentus de Oriente cogitare non poterat, administraverit; aliquando tamen Vaballathus a matre desciviffe, & in Romanos inclinasse videtur postquam Zenobia ipsa Aureliano prius amica ab illo desciverat. Certe Zenobiae nummus in Museo Theupolo (3) reperitur, in cuius antica parte Aureliani Augusti nomen, ac vultus conspicitur, in adversa vero Zenobiae vultus cum epigraphe

CEПTIMIA ZHNÓBIA CEB.

Itaque, licet Zenobia anno imperii sui *quinto*, ideoque 269. nummos suos sine Claudii nomine ac vultu signaverit, Gallieni, & Claudii temporibus Aegyptum semel iterumque occupaverit; primis tamen Aureliani temporibus ipsum veluti imperii consortem agnovisse videtur: per-

(1) In Herenni.
(2) In Tetr. Sen.
(3) Pag. 1191.

perinde ac si imperii societas Gallieni temporibus cum Odenatho instituta, licet aliquando turbata, & abrupta foret, adhuc incolumis esse deberet. Deinde vero, quum superba femina, quae se in litteris Aureliano scriptis *Reginam Orientis* vocabat (1) conspexisset quod Aurelianus consortis impatiens erat, neque Occidentis solum, sed etiam Orientis Imperator esse volebat, Zenobia quidem in posterum Aureliano infensa esse caepit, sed Vaballathus tamen a matre diffidens Aureliano semper amicus esse voluit, ideoque tum *primo*, tum *secundo*, ac *tertio* illius anno plerumque nummos suos cum Aureliani Augusti nomine ac vultu signavit, ut inferius ostendetur; Zenobia vero Aureliano infensa anno imperii sui *septimo*, hoc est 271. nummos cum *Augustae* nomine, ac sine Aureliani vultu cudi voluit. Quamvis autem haec *illustria* tum amicitiae, tum observantiae argumenta Vaballathus Aureliano Augusto exhibuerit, nihilo tamen minus eodem ipso infortunio cum Zenobia matre oppressus fuit. Siquidem infelix hic Princeps sive in Oriente perierit, sive potius ipse quoque Romam deductus fuerit, nunquam certe vel in Armenia, vel uspiam alibi regnum obtinuit, atque in Aegyptio nummo apud Harduinum ipsius annus *sextus* veluti postremus occurrit, quod nimirum Zenobia, eiusque filii anno Chr. 272. ut in Chronico scribit Hieronymus, superati sint, quo Vaballatho *sextus*, Zenobiae autem *octavus* in imperio annus agebatur: siquidem Tillemontii (2) sententia defendi non poterit qui Zenobiae imperium, atque annos nummis inscriptos ab anno 267. numerandos esse putavit, quum Zenobia ipsa anno 264. una cum Odenatho coniuge *Augustae* nomen acceperit.

XV. Eiusmodi vero temporum series a me constituta, & vicissitudines illae, quas in imperio gerendo Vabal-

(1) Vopisc. in Aurel. p. 218.
(2) In Aurel. Nota VII.

Vaballathus ſubivit, ex variis eiuſdem nummis invicem comparatis perſpicue certoque deprehendi poterunt: cum in iis mirum fere diſcrimen ab omnibus tamen Hiſtoricis, & Antiquariis diſſimulatum inſpexerim. Etenim in iis Vaballathi nummis, qui Aureliani temporibus cuſi ſunt, nunquam Vaballathus *Auguſti* nomen oſtentat, ſed modeſtius aliud *Imperatoris*, atque in uno ſolum *Imperatoris Caeſaris* nomen aſſumit; in aliis vero, quos aut Gallieni, aut Claudii temporibus cuſos exiſtimo, *Imperator Caeſar Auguſtus* vocatur; licet Zenobia ſive Aureliano amica, ſive mox infenſa fuerit, ſemper tamen *Auguſtae* nomen ſibi uſurpaverit. Ut haec maxima, & inſignis varietas in Vaballathi nummis appareat, ſimulque ipſius viciſſitudines ex ipſius nummis inferatur, obſervari plurimum debet quod in 12. Aegyptiis nummis Aureliani, ſimulque Vaballathi vultus ac nomen occurrit, ut in Aureliano quidem haec epigraphe habeatur (1)

A. K. Λ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟC CEB

in Vaballatho vero

ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ

& quamvis in aliquibus AYT. in aliis A. in uno AYT. K. obſervetur, nullibi tamen CEB. *Auguſtus* reperitur. Plures tamen, hoc eſt 42. Aegyptii nummi cum ſolo Aureliani nomine, ac vultu ſine Vaballatho nobis occurrunt; & quamvis ipſorum plerique anno 3. 4. 5. 6. Aureliani cuſi ſint, ideoque iis temporibus, quibus Vaballatus cum Zenobia matre imperium amiſerat, alii tamen annum A & B & Γ *primum*, *ſecundum* ac *tertium* Aureliani praeſeferunt, ac Vaballathi nomine carent: quod ii fortaſſe non a Vaballatho, ſed ab Aureliano ipſo,

M cuſi

(1) Vid. Band. p. 372. Muſ. Theup. p. 1191. Hardui.

cusi sint; ceteri autem omnes, in quibus Vaballathus Aureliano coniunctus conspicitur, Vaballathi iussu cusi prodierint. Hinc ab Antiquariis facile in disponendis eiusmodi nummis erratum esse putaverim ubi nonnullos ad Aurelianum, alios ad Vaballathum retulerunt: cum tamen prorsus incognitum incertumque foret quae in iis antica & princeps, quae postica & secunda facies habenda foret, ideoque quinam Vaballatho, qui Aureliano concedendi, vel adscribendi forent. Quod si novem ex nummis illis, quibus & Aurelianus & Vaballathus inscribitur, non Aureliano, sed Vaballatho tribuendi sint, ut ego sane verisimillimum esse putaverim, perspicuum fiet quod Vaballathus ipse *primo*, & *secundo* ac *tertio* Aureliani anno non modo amicitiam, & societatem servavit, verum etiam verecundus adeo, & Aureliano obsequens fuit ut nunquam *Augusti* nomen, quod Aureliano concedit, sibi usurpaverit; sed solo *Imperatoris*, atque unica solum vice *Imperatoris Caesaris* nomine contentus, *Augusti* titulum semper Aureliano soli tribuerit.

XVI. Hinc refelli facile poterit Harduini sententia, qui cum in omnibus Vaballathi nummis *Caesaris* nomen deesse conspiceret, ait Vaballathum non vocari *Caesarem eo quod Caesaris nomen in nummis Iudaeae soli Augusto, sive Imperatori tribueretur*. Etenim, ut omittam in aliquo Vaballathi nummo *Caesaris* etiam nomen occurrere, quid in Aegyptiis nummis, quid in Orientis Imperatore Iudaeorum mos inquiratur: cum praesertim in iisdem *illis* Vaballathi nummis ipse non *Augustus* quidem, sed tamen *Imperator* vocetur; ideoque ex Harduini sententia ipso quoque *Caesaris* nomine donandus esset? Ergo quod in nummis illis non *Caesaris*, sed *Augusti* titulus dissimuletur non Iudaeae consuetudini, sed cauto prudentique Vaballathi consilio adscribi debet, qui cum Aureliani animum nondum perspectum haberet, ab *Augusti* nomine abstinuit, seque *Imperatorem* solum vocavit: cum

ipse

ipſe quoque Romanorum inſtar intelligeret plurimum diſcriminis inter *Auguſti*, & *Imperatoris* nomen reperiri, etſi fortaſſe vel errore, vel aſſentandi ſtudio diſcrimen illud aliquando temere negligeretur. Ita, quum Carus Auguſtus Carinum filium iam *Caeſarem* in Gallias miſiſſet, ipſique imperatoriam poteſtatem conceſſiſſet, in Aegyptiis Carini nummis anno *primo* cuſis ille non modo Αὐτοκράτωρ *Imperator*, ſed etiam Σεβαςὸς *Auguſtus* vocatur (1), & Zonaras (2) ait quod Carus ipſum ἐταινίωσε Βασιλείῳ διαδήματι *cinxit regio diademate*; cum tamen *Auguſti* nomen proximo ſolum anno una cum Numeriano fratre is acceperit. Ita propemodum in Philippi iunioris nummis cum ſolo *Caeſaris* titulo, nudoque capite *Tribunicia Poteſtas* memoratur (3) antequam ille *Auguſtus* a patre vocaretur, quod nimirum vel monetarii vitio id irrepſerit, vel certe Poteſtas illa praeter morem ipſi a patre conceſſa fuerit, qui proinde ſibi ſolum *Pontificis Maximi* nomen reſervaverit; quum ſane in Philippi iunioris nummis *Pont. Max.* nomen cum *Trib. Pont. IIII.* primum occurrat (4). Illud etiam hic obiter obſervandum quod Spanhemius (5) exiſtimavit Gallienum omnium poſtremum fuiſſe, qui *Pontificis Maximi* titulum in nummis expreſſerit, idque non de Gallieno, ſed Claudio ipſius ſucceſſore dicendum Tillemontius (6) obſervavit. Perſpicuum eſt tamen quod titulus ille in ipſis etiam Tetrici (7), Aureliani (8), Probi (9), Cari, & Carini nummis occurrit; ideoque, licet ſequioribus iis temporibus

(1) Vid. Band. p. 538.
(2) Libr. XII. n. 30.
(3) Froel. Tent. p. 425.
(4) Vid. Noriſ. de Num. Lic. c. 3. & 6.
(5) De praeſt. Numiſ. Lib. VIII. p. 699.
(6) In Claud. p. 374.
(7) Band. p. 404.
(8) Band. p. 366.
(9) Ibi pag. 471. Vid. Grut. p. 277. n. 1. 278. n. 4.

bus in *Augusti*, ac *Tribuniciae Potestatis* nomine novitas invecta foret, nihil tamen in exprimendo *Pont. Max.* titulo mutatum fuit.

XVII. Sed, ut ad Vaballathi nostri nummos revertar, post Aegyptios illos, in quibus ipse cum Aureliani vultu conspicitur ac solo *Imperatoris* titulo contentus nunquam splendidiori *Augusti* nomine decoratur, duo alia, & longe quidem obscuriora Latinorum nummorum genera explicanda nobis occurrunt, in quorum primo Vaballathus ipse cum *Augusti* nomine, sed tamen sine Aureliani vultu, conspicitur; in secundo vero Vaballathus, & Aurelianus etiam habetur, sed ignotus quidam titulus & implexa epigraphe Vaballatho adiecta reperitur. Atque in prioribus quidem Latinis nummis, qui quatuor solum supersunt, perspicue circa Vaballathi caput radiatum ac paludamento ornatum legitur (1)

IMP. C. VABALATHVS AVG.

in adversis autem faciebus habetur

AEQVITAS AVG. AETERNITAS AVG.

VICTORIA AVG. VIRTVS AVG.

in aliis vero, in quibus in antica parte circa Aureliani caput legitur

IMP. C. AVRELIANVS AVG.

in adversa circa laureatum Vaballathi caput sequentes epigraphae reperiuntur (2)

VA-

(1) Band. p. 396.
(2) Band. p. 389. 384. 396.

VABALATHVS REXVCRIMPP

VABALATHVS ITER IMPR

VABALATHVS VCRIMDR

quamvis in his postremis Harduinus, ac Begerus etiam vel VCRIMOR, vel VCRIMPR exaratum esse putaverint (1). Si plures eiusmodi Latini nummi inter se conferantur, quod a nemine factum esse conspicio, perspicue apparet quod si Vaballathus una cum Aureliano coniungatur, nunquam *Imperatoris*, aut *Augusti* nomine, aut paludamento, aut radiata corona decoratur, quae tamen omnia in nummis illis occurrunt, in quibus solius Vaballathi nomen ac vultus observatur; sed Caesaris, Imperatoris, & Augusti loco ignotam aliam dignitatem ostentat: quae sane discrimina constanter adeo in nummis illis servata non fortuito, sed certa quadam ratione nobis incognita usurpata fuisse putaverim. Itaque, nisi plurimum fallor, tres nummi quibus solum Vaballathi nomen ac vultus exprimitur cum epigraphe

IMP. C. VABALATHVS AVG.

Gallieni, & Claudii temporibus inter annum 267. 270. ante susceptum ab Aureliano Imperium cusos existimo dum Vaballathus post Odenathi, ac Herodis mortem Orientis imperium cum Zenobia matre occupabat; alioquin, si Aureliani temporibus cusi illi forent, quemadmodum sane in Aegyptiis nummis Vaballathus *Augusti* nomen semper omisit, ita quoque pari propemodum iure, atque Aureliani timore nomen illud in Latinis etiam nummis omnino dissimulasset.

XVIII.

(1) Vid. Band. p. 395.

XVIII. Quid vero de obſcurioribus aliis Latinis nummis putabimus, in quibus inſolitae mireque implexae epigraphae ſuperius expoſitae reperiuntur; qua de cauſa vel tempore eos a Vaballatho cuſos cenſebimus, cum praeſertim doctiſſimi ſane Viri in explicandis illis diffideant? Etenim Biragus, & Occo exiſtimavit (1) quod Aurelianus poſtquam de Tetrico, Zenobia, Vaballatho triumphaverat, ipſi provinciam, vel regnum aliquod conceſſerit, cuius nomen in characteribus illis VCRIM. deliteſcat, ideoque nummos poſt Aureliani triumphum, & annum 274. cuſos putavit. Sed coniecturam illam velut abſurdam, regnique prorſus incogniti nomen temere confictum Harduinus irriſit, novamque prorſus extricandae epigraphae rationem ſubtiliter excogitavit. Aſſerit enim quod cum Aurelianus ſeſe Vaballatho opprimendo imparem eſſe intelligeret, ipſum in Collegam, conſortem, & Vicarium adſcivit, eique Orientale Imperium regendum commiſit. Itaque characteres, vel ſiglas illas ita efferendas exiſtimat *V*ice *C*aeſaris *R*ector *IM*perii *OR*ientalis, ſive *V*ice *C*aeſaris *R*ector *IMP*erii *R*omani. Sed undenam Harduinus ipſe didicerat Aurelianum ſeſe Vaballatho ſuperando imparem agnoviſſe, ideoque Orientale Imperium ipſi regendum commiſiſſe, quum Zenobiam, & Orientales omnes admirabili quadam felicitate praelio fuderit, Zenobiam ipſam, eiuſque filios captivos duxerit, Palmyrenos iterum rebellantes fregerit, Antiochum, & Achilleum, qui eo digreſſo imperium invaſerant, ſuperaverit, ideoque *Orientis Recator*, *Orientis Receptor*, ut in Epiſtola ad Zenobiam ſcripta (2), atque in nummis inſcribitur (3), triumphaverit? Quid vero quod in nummis illis non VCRIMOR, ſed VCRIMDR,

con-

(1) Vid. Tillem. in Aurel. Nota X. p. 534.
(2) Vopiſc. in Aurel. p. 218.
(3) Band. p. 382.

constanter legitur, ideoque *Orientis*, vel *Orientalis Imperii* nomen hinc exsculpi non potest? Denique, ne plura commemorem, in nummis aliis REX VCRIMPP, vel ITER IMPR Vaballathus vocatur, ideoque nova prorsus explicandi ratio pro his nummis ab Harduino dissimulatis effingenda foret: quemadmodum sane plurimi in Siglis illis legendum esse putarunt

ViCtoRia IMp Domini Regum

ViCtoRia IMperatoris Perpetua

ViCaRius IMPerii Romani

ac novae quoque legendi rationes inquiri facile, proponique possint.

XIX. Ego vero in tanta rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio illud unum perspicue certoque constitui posse putaverim quod ii nummi post Aureliani triumphum cusi fuerint. Siquidem Aureliani vultus, ac nomen iis inscriptum ostendit quod Aureliani temporibus adscribi debent. Quamdiu vero Vaballathus ipse Aureliani aetate in Oriente imperavit, *Imperatoris*, ac *Imperatoris Caesaris* titulum in nummis assumpsit, ideoque nummi, in quibus fortasse *Regis* nomen, aut potius obscurior, ac ignobilior titulus alius occurrit, ad posteriora tempora referri debent, quibus ille eximia quadam Aureliani clementia & humanitate vel regno, vel ditione, vel dignitate quadam non in Oriente quidem ubi socios, veteres amicos habere, ideoque Imperii tranquillitatem turbare poterat, sed potius in aliqua Occidentis Provincia decoratus nummos cum Aureliani Augusti nomine ac vultu cudere, suoque etiam vultu ornare potuerit. Quamvis enim Aurelianus, Eutropio (1) teste *saevus*, & *san-*

(1) Lib. IX. c. 13.

& sanguinarius, aut certe ferox, & bellicofiffimus foret, rebellibus quidem ac fuperbis refiftere, fed victis tamen ac fubiectis parcere gloriae duxit. Hinc ille, cum Zenobiam audacem & pervicacem faeminam fuperaffet, Romamque in triumphum duxiffet (1), *φιλανθρωπίᾳ χρησάμενος πολλῇ συνάπτει ταύτην ενδόξως ανδρι των εν γερουσίᾳ clementiaque plurima in eam ufus Senatoris ordinis viro honorato coniugio eandem locat*: unde Eutropius (2), atque ex illo Hieronymus (3) ait quod *Zenobia in Vrbe fummo honore confenuit, a quo hodieque Romae Zenobia nuncupatur familia*, ac Trebellius (4) ipfe de Zenobia loquens iam dixerat *fertur vixiffe cum liberis more matronae iam Romae: fiquidem Zenobiae pofteri etiam nunc Romae inter nobiles manent*. Quin etiam Trebellio ipfo tefte Aurelianus illi poffeffionem in Tiburte conceffit, eiusque filiam, fi Zonarae (5) fides, in matrimonium accepit, ceterafque nobilibus viris defpondit. Ad Tetricum vero quod attinet, quamvis ille Aureliani triumphantis currum una cum Zenobia praeceſſerit, deinde tamen Aurelianus ipfum (6) *Correctorem totius Italiae fecit, ideft Campaniae, Samnii, Lucaniae, Brutiorum, Apuliae, Calabriae, Hetruriae, atque Vmbriae, Piceni, & Flaminiae, omnifque annonariae regionis, illum faepe Collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellavit;* Tetrico patri, eiufque filio *fenatoriam dignitatem accipiens ab his fceptrum tribuit;* ac utrique ex illis iam defuncto five ab Aureliano ipfo, five ab alio eius fucceffore divini honores & confecratio conceffa fuit, ut ex utriufque nummis apparet (7). Quid ergo prohibet

(1) Syncel. p. 306.
(2) Loc. cit.
(3) In Chron.
(4) In Herenni. p. 197.
(5) Lib. XII. n. 27.
(6) Trebel. in Tetrico Sen. p. 196.
(7) Band. p. 400. & 411.

bet quin Aurelianus ipse, sicuti Tetrico Lucaniam, ita quoque Vaballatho Provinciam aliquam regendam commiserit; quum praesertim Vaballathus, ut antea demonstravimus, Aurelianum ipsum veluti Collegam respexerit, maximoque honore, & obsequio coluerit, se ipsius socium, & amicum ostenderit; &, si fortasse quidpiam hostile contra Aurelianum, ac Romanos tentaverit, id Zenobia duce, & impellente ille fecerit? In hac hypothesi longe verisimillima, quae a ceteris etiam Interpretibus admissa fuit, perspicue apparet quod in characteribus, aut Siglis illis, quae Latinis eiusmodi Vaballathi nummis inscriptae sunt, eius Provinciae nomen, aut potius dignitas illa obscurius indicatur, quae Vaballatho post triumphum concessa fuit.

XX. Quod si fortasse quispiam interroget quaenam Provincia vel dignitas illa censenda sit, quae implexis illis vocum compendiis indicatur, ego sane eius aurei praecepti (1) memor σοφὸν ἔυκαιρος συγὴ, καὶ παντὸς λόγυ κρείττων silere potius velim quam aliorum instar coniectando, vel divinando quidpiam proferre. Etenim quidquid vel a me fortasse, vel ab alio in re obscurissima subtiliter etiam, aut ingeniose dicatur, semper ab alio refelli poterit, ac nova quaedam explicandi ratio proponi, quae aliis subtilior & accuratior videatur. Sic ut exempli loco coniecturam aliam hic proferam, perspicuis veterum (2) testimoniis erudimur quod Aurelianus post triumphum Daciam Provinciam, quae a Traiano trans Danubium constituta fuerat, abolevit, ac Barbaris occupandam reliquit, ideoque Romanos ibi degentes cis Danubium transtulit, novamque Daciam Provinciam ita constituit, ut illa duas in partes ab intermedia Moesia divideretur. Harum Daciarum prima, quae Danubio proxima foret, *Dacia Ripensis* diceba-

N tur,

(1) Plutar. de puer. instit.
(2) Sex. Rufus in Aurel. & Iornan. de Successiion.

tur, atque a Praeside regebatur, qui in Codice (1) *Provinciae Daciae Praeses* vocatur; altera vero a Danubio remotior *Mediterranea Dacia* appellabatur, atque a *Consulari* regi consueverat; licet, ut inferius observabitur, utraque Dacia ab unico *Daciarum Praeside* aliquando regeretur. Quid ergo prohibet ne Aurelianus dicatur Vaballathum in una ex Daciis istis Rectorem collocasse, ideoque epigraphe VCRIMDR ita legatur V*ir* C*onsularis* R*omanorum* I*n* M*editerranea* D*acia* R*ector*, sicuti in Gruteri (2) Marmore reperitur *Rector Provinciae Campaniae*; quumque iam inde ab Alexandri Severi (3), Decii (4), Volusiani (5), Gallieni (6) aetate characteribus V. C. *Vir Clarissimus* exprimeretur, in hoc ipso sensu in Vaballathi etiam nummis intelligi fortasse illi poterunt: quemadmodum Vaballathus ipse novis fortasse honoribus ac titulis auctus in nummis aliis vocari etiam potuit R*omani* EX*ercitus* V*ice* C*aesaris* R*ector*, I*n* M*aesia* P*rovincia* P*raetor*, sicuti Trebellius (7) ait quod milites de Imperatore deligendo cogitantes *Diocletianum Augustum appellaverunt Domesticos*, nimirum Equites, *tunc regentem*.

XXI. Sed, ut a levissimis coniecturis istis tandem digrediar, pulcherrimum potius monumentum aliud hic opportune memorata iam Daciarum institutione illustrasse iuverit, quod Cl. Gorii diligentiae debemus (8). In Medicea Gaza veteris Romani Modii aereum exemplar reperitur, cui sequentes voces in latere inscriptae conspiciuntur

MEN-

(1) Vid. Leg.' 4. C. de Metallariis.
(2) Pag. 43. n. 6.
(3) Murat. p. 254. n. 4. 5.
(4) Gudi. p. 94. n. 1. 2.
(5) Murat. p. 253. n. 9.
(6) Murat. p. 254. n. 1.
(7) In Numeri. p. 251.
(8) Inscr. Etrur. Par. III. pag. 2.

MENSVRAE AD EXEMPLVM
EARVM QVAE IN CAPITOLIO SVNT
AVCTORE SANCTISSIMO AVG N.
NOBILISSIMO CAES.
PER REGIONES MISSAE CVR... D. SIMONIO
IVLIANO PRAEF. V..... C. V.

Reinesius (1), cui Langermannus Florentia redux epigraphen Modio insculptam ostenderat, ipsam omnium primus post Mabillonium (2) edidit, ibique pro *D. Simonio* rescribendum esse putavit *D. Ceionio*, quum *Ceionius Iulianus* anno Ch. 333. vere Vrbis Praefecturam gesserit. Gorius vero, qui Modium ipsum accuratissime exscripsit, liberiorem hanc Reinesii coniecturam reiecit, quumque subtiliter, atque ingeniose observasset quod in Veronensi Marmore (3) Gallienus SANCTISSIMVS AVG. N. vocatur, ibique legitur CVRANTE IVL. MARCELLINO sicuti prorsus in Modio habetur CVRANTE D. SIMONIO IVLIANO, optime accurateque coniecit quod Simonius ille Gallieni temporibus Vrbanam Praefecturam gesserit. Nolim eximiae huic amicissimi olim viri coniecturae laudique detrahere. Si tamen coniecturam aliam proponere hic liceat, longe verisimilius putaverim epigraphem, ac Modium illum, ideoque Vrbis Praefectum in illo memoratum ad sequiora tempora referendum esse. Etenim in Thermis Herculanis in Dacia repertis haec Inscriptio Marmori insculpta reperitur (4)

HERCVLI SANCTO
SIMONIVS IVLIANVS V. C.
PRAESES DACIARVM

N 2 Si Si-

(1) Class. IV. n. 16.
(2) Iter Ital. p. 187.
(3) Grut. pag. 166. 2.
(4) Murat. p. 358. 4.

Si Simonius ille, qui hic *V. C. Praeses Daciarum* vocatur, unus idemque fuerit, qui in Modio *V. C. Praefectus Vrbis* appellatur, ut maxima veri specie defendi potest, ideoque ille postquam Daciarum Praeses fuerat, supremam illam potestatem Vrbanae Praefecturae Romae susceperit, post Aureliani tempora vixisse ille debuit, postquam nimirum Dacia quae Gallieni & Claudii temporibus vel unica, vel a Barbaris occupata fuerat, ab Aureliano in Moesiam translata, atque in duas ita dirempta fuerat, ut non amplius *Dacia* solum, sed adiecto discrimine, vel *Ripensis*, vel *Mediterranea* vocaretur, aut certe Daciarum nomine ipsarum utraque designaretur. Accedit etiam quod Herculanae Thermae non in veteri Dacia trans Danubium posita, sed in nova & cis Danubiana Dacia repertae sunt, ideoque Praeses ille ad Daciam, vel Dacias illas referri debet, quae post Aureliani aetatem a Consularibus, Praesidibus regi caeperunt. Denique ne argumenta cetera hic persequar, celeberrimus ille Praefectorum Vrbis Laterculus, qui a Bucherio editus fuit, ab anno Chr. 254. Gallieni *primo* exorditur, & singulos, suffectos etiam, Vrbis Praefectos enumerat, qui ad annum usque 354. eo munere perfuncti sunt, nec ullibi *D. Simonii Iuliani* nomen occurrit, quod argumento esse poterit Simonium illum post annum 354. Praefectura Vrbana decoratum fuisse: nisi fortasse cui libeat integrum eius Ceionii Iuliani nomen, qui *anno* 333. Vrbis Praefectus fuit, censendum esse *D. Simonius Ceionius Iulianus*: quae sane nominum varietas plurimis Consulum, ac Praefectorum exemplis ostendi facile posset, in quibus modo unum, modo aliud, interdum plura nomina dissimulata, vel omissa fuisse conspicimus; ac ipse quoque Ceionius, qui in Praefectorum Laterculo *Ceionius Iulianus Kamenius* vocatur, in monumentis aliis solo *Ceionii Iuliani* nomine decoratur.

Quod

Quod vero idem ille *Sanctissimi Augusti nostri* titulus in Veronensi Marmore, simulque in Romano Modio reperiatur, ostendere sane non poterit, quod Modius ipse Marmoris instar, Gallieni temporibus adscribi debeat. Siquidem in Marmoribus aliis (1) Traianus Decius *Sanctissimus Dominus noster*, Furia Tranquillina *Sanctissima Augusta coniux Domini Nostri Gordiani vocatur* (2); ideoque ex sola *Sanctissimi D. N.* voce nihil omnino de Modii aetate definire nunc licet. Interim, ex Bucheri Laterculo inferri facile poterit hunc D. Simonium Iulianum post annum 354. collocandum esse, ut opportunius ostendam in nova *Praefectorum Vrbis Serie*, quam ex Scriptoribus, ac Marmoribus adornavi.

XXII. Antequam tamen manum ex tabula retraham, ex superioribus Vaballathi nummis aliqua opportune inferre, atque coronidis instar addere hic libet, ex quibus fortasse, ut opinor, nummis aliis illustrandis splendor aliquis oriatur. Perspicuis iam, certisque exemplis Eruditis omnibus exploratum, compertumque esse debet quod in Aegyptiis imperatorum nummis ita ipsorum imperantium anni numerantur, ut *primus* eorum annus non ab ipso inaugurationis die, quo imperium adepti sunt, sed a civilis Aegyptiorum anni cardine deducatur, sive a Thoth, vel 29. Augusti die, qui proxime inaugurationem ipsam praecesserat; *secundus* autem annus a Thoth, qui inaugurationem ipsam proxime consequebatur; quamvis ab electionis die ad sequentem Thoth, sive 29. Augusti diem pauci solum menses, vel dies fluxissent. Haec perennis & constans Aegyptiorum annorum ratio in Imperatorum nummis usurpata fusius & opportunius a me quoque exposita, novisque exemplis confirmata fuit in ea Dissertatione, quam de Aureliani Augusti nummis historia, atque aetate iam edidi.

Ita-

(1) Murat. pag. 1043. n. 2. & 2049. n. 8.
(2) Murat. p. 272. n. 5. 6.

Itaque nihil facilius, aut verisimilius videri poterat, quam celebrem hunc morem in ipsis etiam aliorum Principum nummis adhibitum atque observatum fuisse, ideoque numeros Odenathi, Zenobiae, Herodiani, Vaballathi nummis inscriptos sic explicandos esse. Perspicue tamen certoque deprehendi quod eorum Principum anni non a civilis anni cardine, sed ab alio prorsus initio, atque, ut opinor, ab electionis die numerari debent. Etenim in Aureliani nummis, qui Vaballathi nomen adiunctum habent, *primus* Aureliani annus cum Vaballathi *quarto* coniungitur, *secundus* cum *quinto*, *tertius* cum *sexto*. In alio tamen Vaballathi nummo idem ille Vaballathi *quintus*, qui prius cum *secundo* Aureliani coniungebatur, cum *tertio* coniunctus conspicitur, ideoque manifestissime apparet, quod *quintus* Vaballathi annus partim cum *secundo* finiente partim etiam cum *tertio* ineunte Aureliani anno concurrit: quod fieri certe non poterat si tam Aureliani, quam Vaballathi anni ab uno eodemque cardine, sive 29. Augusti die, ducti forent. Itaque *primus* Vaballathi annus non a 29. Augusti die anni 266. vel a Thoth, qui eius electionem proxime antecessit, sed ab Odenathi morte, nimirum a Iulio mense anni 267. incepit, ideoque ineunte Augusto anni 270. quo Aureliani *primus* imperii annus agebatur Vaballathus ipse iam *quartum* inceperat, ut optime proinde in nummis Aureliani *primus* cum Vaballathi *quarto*, *secundus* cum *quinto*, itemque *tertius* cum *sexto* coniungatur. Si tamen aliquis Vaballathi nummus ante 29. Augusti diem anni 271. incepto iam *quinto* ipsius anno cusus fuerit, ille *secundum* Aureliani annum propemodum exeuntem praeferre debet, sin vero post eandem illam 29. Augusti diem prodierit, cum eodem *quinto* Vaballathi anno adhuc labente non *secundus*, sed *tertius* Aureliani annus coniungi debet, qui iam a 29. Augusti die inceperat.

XXIII.

XXIII. Ex eiusmodi vero observatione vel calculo universa fere temporum series a me constituta pulcherrime confirmatur. Perspicue nimirum intelligi, & exponi poterit quod Odenathus post Gallieni decennalia, ideoque post Iunium mensem anni 264. participato imperio Augustus vocatus fuit; quod peractis in imperio tribus annis quartum incepit, ideoque quartus in eius nummis occurrit: quod eius mors ac Vaballathi initium in Iulium circiter mensem anni 267. incidit, ut quintus ipsius annus ante 29. Augusti diem anno 271. incipere, ideoque partim cum secundo, partim cum tertio Aureliani anno concurrere potuerit. Quod si vel Odenathi, vel Vaballathi, vel Aureliani initium a me constitutum suis e locis dimoveatur, haec mira nummorum cum historia consensio servari certe non poterit.

XXIV. Quaecumque vero de Vaballathi nummis, eorumque annorum initio, qui iis inscripti conspiciuntur, iam dixi, de ceteris etiam Principibus intelligi profecto debent, ideoque hac etiam ratione Harduini coniectura refelli poterit, qui *septimum* annum Zenobiae nummis inscriptum non Zenobiae, sed Vaballatho tribuendum esse opinatur. Siquidem si Vaballathus imperium Iulio mense anni 267. suscepit, *septimum* imperii annum ante Iulium mensem anni 273. inchoare non poterat, quo iam Zenobia ipsa victa, & Vaballathus imperio spoliatus erat. Non facile vero ego dixerim cur inter Augustorum, & aliorum Principum nummos haec insignis varietas, annisque numerandis discrimen habeatur; quum praesertim in ipsis etiam Aegyptiorum Regum nummis eadem prorsus ipsorum supputandorum ratio observata fuerit, quae in Augustorum nummis occurrit. Facile tamen coniicere, vel opinari quis poterit id ex veteri consuetudine profluxisse, qua Principes illi suis in regnis imperii annos ab ipso inaugurationis die numerabant; ideoque quum postea vel universa, vel aliqua Aegypti regione potiti fuerant, suis in nummis, quamvis in

in Aegypto cusi illi forent, annos eadem ipsa ratione numerari voluerint. Ita Vaillantius quum in Arsacis I. nummo (1) legisset ΑΠΟ ΜΗΝΟΣ ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ *a mense Gorpiaeo*, atque in Arsacis II. nummo (2) ΑΠ. ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΥ ab *Hyperberetaeo* existimavit his mensium nominibus regni ab iis suscepti partaeque victoriae tempus designari: ut proinde, si Arsacidarum aliquis Aegyptio regno potitus esset, suos imperii annos non Aegyptio more, sed veteri potius, ac patrio numerasset. Ita prorsus Civitates, quae Seleucidarum annis, & epocha utebantur, civilis anni principium Seleucidarum more ab autumno ducebant; ideoque, si ipsarum aliquae Aegyptiis Regibus parerent, in nummis non Aegyptio, sed suo potius more annorum initia exprimere, atque annos ipsos numerare consueverant. Sed haec, aliaque id genus plura eruditis Viris excutienda, & explicanda relinquo. Etenim non mediocrem industriae meae, quaecumque illa fuerit, uberemque fructum percepisse videbor si quid fortasse obscurissimis Vaballathi nummis explicandis, atque implexae ipsius historiae nitidius, atque accuratius exponendae contulisse potuerim.

(1) Hist. Arsacid. pag. 8.
(2) Pag. 16.





FINIS.

